


I, 782

I, 78 Duod.



ORATIO FVNEBRIS

ILLVSTRIS-
SIMO, CELSISSI-

MOQVE PRINCIPI AC

DN: DN: FRIDERICO VVILHEL-

MO, Duci Saxoniae, Landgravio Thu-

ringiae, Marggravio Misniae &c. die VII.

Iulij Anno Chiisti 1602 hora nocturna

undecima beatissime defuncto, cum

annos quadraginta, menses duos,

& dies duodecim ætatis

complevisset,

AD ELECTORALE MANDA-

tum debitæ gratitudinis ergò habi-

ta in Academia VVittebergensi

die XI. Octobris,

SALOMONE GESNERO

S. Theol. D. & Prof. publ.

VVITTEBERGAE,

Typis Wolffgangi Meisneri, Im-
pensis Zachariae Schureri, Anno 1602.

HV.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMI-
NO CHRISTIANO II. SACRI
Romani Imperij Archimarschallo
& Electori, Duci Saxoniae, Land-
gravio Thuringiae, Marchioni Mis-
niae, Burggravio Magdebur-
genfi, Domino suo Cle-
mentissimo

*Gratiam Domini Nostri Iesu Christi,
pacem, tranquillitatem, omniaq; fae-
licissima devoto ac humili animo
precatur.*



APIENTIS-
simus potentissi-
morum & poten-

A 2 tiffi-

D E D I C A T I O

tissimus sapientissimorum,
Salomon, Illustrissime Prin-
ceps, Elector, Domine Cle-
mentissime, divino Spiritu
afflatus ait: Melius est ire
ad domum luctus, quam
ad domum convivij: in illa
enim finis cunctorum osten-
ditur hominum, & vivens
cogitat, quid futurum sit.
Hoc apud animum perpen-
dens Illustriss. V. Celsit. cle-
menter mandavit, ut Illu-

strissi-

ORATIONIS.

strissimo Principi ac Do-
mino, Domino Friderico
VVilhelmo, Duci Saxonie
Et c. Electoratus Saxonici
nuper Administratori ac
tutori, pie Et feliciter in
Christi agnitione ac cele-
bratione defuncto, parenta-
tio apud nos publica Et so-
lennis institueretur, eaq; ad
gratam Et perpetuam vir-
tutum ac beneficiorũ tanti
principis, quibus Electora-

A 3 tui

DEDICATIO

tui Saxonico per decennium
magno cum emolumento u-
tifruumq; licuit, recordatione
typis divulgaretur. Eam
provinciam cum de iudicio
est voluntate eorum, qui-
bus refragari non debeo, in
me susceperim, (licet alij
cupiam demandatam fuis-
se mallem,) est concionem
funebrem die XI. Octobris
ea, qua potui, dicendi facul-
tate habuerim, nemini,
quam

ORATIONIS.

quàm Illustrissima V. Celsitudini rectius & equius eandem inscribi ac dedicari posse & debere existimavit: tum ut pia vereq; Christiana affectionis, qua Illustrissima V. Celsitudo erga sanctè mortuū Principem Fridericum V Vilhelmum suo suorūq; nomine flagrat, publicum hoc extaret quaecunq; monumentum, tū ut obedientia erga Celsita-

A 4 tern

DEDICATIO

tem vestram nō modo mea
sed totius Academiae no-
strae esset documentum, tum
vel inprimis ut veritati,
quā reticere nec debui nec
potui, adversus malevolo-
rum calumnias & obtre-
ctationes Illustrissima V.
Celsitudo tutū praeberet asy-
lum & munimentum.

Etsi autem difficile mihi
fuit in laudibus laudatissi-
mi Principis versari, ne eas

obscu-

ORATIONIS.

obscurasse potius, quam illustrasse viderer. Eò tamen hoc quicquid est laboris, aut etiam periculi imponi mihi passus sum libentius, quo major est in exequiarum, funerationumq; extremo, quod homini ab homine prestatur, officio pietas. Neq; enim sacre solummodo litera eam commendant, sed etiam gravissima philosophorum ethnicorum sen-

A 5 ten-

DEDICATIO

tentia, omniumq; temporū
historia: quin ad curam su-
 neream naturā ipsam post
 peccati lapsum ducem Et
 magistrā nacti sumus, ut
 cum eloquentiā parente di-
 cere possimus: Est hac non
 scripta, sed nata lex, quam
 non didicimus, accepimus,
 legimus: verūm ex natura
 ipsi arripimus, hausimus,
expressimus: ad quam non
docti, sed facti: nō instituti,
sed imbuti sumus, ut, qui
 morta-

ORATIONIS.

mortali vita benè excedit,
eos omni honore prose-
quatur, quibus diuturnius
hic commemorandi spaciun,
lociq; & temporis usura
conceditur.

Quatuor sunt, teste Salo-
mone, minima terra, que
tamen sapientiora sunt, a-
pietibus: atq; inter hæc qua-
tuor sapientie sive emble-
mata sive epigramata pri-
mum locum formicis adsi-

A 6 gnat.

DEDICATIO

gnat: cui etiam philosophus
subscribit, in hęc sententiã:
ἐν μύρμηξι, ὡς περ ἐν σαγόνι καδα-
ρᾶ, πάσης ἐν ἐσὶν ἀρετῆς ἔμφασις,
in formicis, inquit, non ali-
ter, ac in limpidissima pel-
lucidissimaq; gutta, omnis
virtutis insunt simulacra.
De formicis autem alicubi
Plinius ait: Sepeliuntur in-
ter se viventium sole præ-
ter hominem. Cleanthes phi-
losophus apud Plutarchũ,
sicut etiam Iohannes Phi-
lopo-

ORATIONIS.

loponus grammaticus in
 commentarijs Aristotelis,
 Et præterea B. Malchus e-
 remita seu anachoreta a-
 pud D. Hieronymum osten-
 dunt, huiuscemodi sese inter-
 venisse spectaculo, quo vi-
 derint, luctu celebri (sunt
 verba Hieronymi) formi-
 cas corpora defuncta depor-
 tare, Et hæc ceremonias
 observare; ut nimirum
 prodirent è peculiari cel-

A 7

lula,

D D I C A T I O

lula, velut e Libubina de
lubro, formica funus ge-
stantes, his autem occurre-
rent ex alia caverna alia,
quae cū illis quasi collocuta
retrò descenderint, idq; bis
terve factū, quod deniq; ha-
ab imo sicuti redimēdi mor-
tui precium, vermem extu-
lerint, quo sublato, reddi-
toq; mortuo, ille venzo pōgoi ve-
spillonum ac sandapilario-
rum munere defuncta, do-

mm

ORATIONIS

mi. m se receperint. Hinc
etiam cubilia illarum cru-
diti peruestigarunt: Com-
memorant enim nō rectum
esse à communi descensum,
nec alteri animanti per-
meatu premium, sed flexi-
bus & anfractibus, qui de-
tortos & occultos calles &
carvas semitas habeant, in-
tria terminantem antra:
quorum unum commune
sit cenaculum, alterum pe-

noris

de
e-
re
a,
ta
bis
ha
or
tu-
di-
ve-
rio-
do-
um

DEDICATIO

noris cella, in tertium mor-
tua condantur.

Atq; hæc quidem eò com-
memoro, Illustrissime Prin-
ceps, S. Rom. Imperij Ar-
chimarſchalle, & Septem-
vir, Domine clementissi-
me, ut ostendam, in fune-
rum honesta curatione de-
ductioneq; non factitiam
fictitiamq;, sed nativam
synceramq;, inesse pietatem,
& humanitatem verè hu-
manam, germanitus Ger-

ORATIONIS.

manam & amicam. Ea
 proinde fretus hanc con-
 ciunculam scholasticā au-
 dentius offero, planeq; per-
 suasum habeo, si in funere
 indicendo tanta enituit Cel-
 sit. Vestra pietas, quod justis
 persolutis nō minor affulsu-
 ra sit serenitas. Deum autē
 oro optimū maximum, ut
 Illustriss. V. Celsitatem unā
 cum Illustrissima conjuge,
 Domina Hedvigi, nec nō
 serenissima Domina matre,

Cel-

DEDICATIO

Celsissimis item Principibus
fratribus ac sororibus, to-
taq^{ue}, Electorali & Saxoni-
ca familia quã diuissimè
saluam, incolumemq^{ue}, vi-
gentem florentemq^{ue}, conser-
uet, per Dominum & Sal-
uatorem nostrum Iesum
Christum. Amen. Scriptum
V Viteberga, Anno Christi
1602. IV. Cal. Novembr.
qui dies Natalis est S. Nar-
cissi Hierosolymorum quon-

dam

ORATIONIS.

dam episcopi, qui cum pietate, sanctitate, doctrina, miraculis ad decimum sextum supra centesimum etatis sue annum claruisset, ad Deinum commigravit, quo contendimus omnes.

Illustriss. & Clementiss.

Vestræ Celsitudinis

humilimus minister

Salomon Gesnerus D.

DEI

DEI GRATIA
AVGVSTVS
DUX SAXONIÆ,
LANDGRAVIUS THV-
RINGIÆ, MARCHIO
MISNIÆ, &c.

RECTOR ACADÉ-
MIÆ VVITEBERGEN-
SIS, *Universis ejusdem Academia ci-
vibus clementiam & favorem,*

NEMINEM IN
hac Republica Lite-
raria reperiri arbi-
tratur, qui in con-
suetudine vitæ communis usq;
adeò hospes ac peregrinus sit,

ut

INTIMATIO.

ut nesciat, superioribus mensi-
bus, illustrissimū celsissimūq;
Principem, DOMINUM FRI-
DERICVM VVILHELMVM,
Saxonix Ducem & Proelecto-
rem, agnatum, & tutorem no-
strum, dum fata Deusq; sine-
bant, optatissimum mortem ob-
ijisse. Neq; verò quenquam pu-
tamus ingenio tam barbaro, ani-
moq; tam inhumano esse, quem
non acerbis ille, & quodammo-
do inopinatus casus gravissimè
affligerit. Nam tametsi illum ho-
minem natum esse meminera-
mus, cui vita usu, non mancipio
data esset, id quod ne gentiles
quidem juris consultos, ac Poë-
tas fugere poterat: in illa tamen
aetate etiam tum erat Princeps

ille,

INTIMATIO.

ille, ut diuturniore lucis huius
usura frui debere videretur. Ac
nihil sanè ipsi mali accidit, qui
sapientia, iustitia, virtute, & do-
ctrina eximia, in primis autem
singulari quadam, & admirabili
pietate immortalem sui memo-
riam apud bonos & doctos, sum-
mi atq; infimi ordinis homines,
reliquit, & nunc vera illa, ac vi-
tali vita, eaq; beatissima & sem-
piterna in cœlo fruitur. Nobis-
cum actum est incommodiùs,
qui illius tanti Principis tam ra-
ris ac divinis virtutibus, tam ci-
tò orbatum sumus. Veruntamen
acquiescamus in Dei sapientissi-
mi, atq; Optimi Maximi volun-
tate & arbitrio, cui vni constant
rationes factorum suorum: me-
moriā

INTIMATIO.

memoriam autem Principis illius
pijsissimi, literatissimi, benignis-
simi, & cum de reliquis partibus
Reipublicæ Christianæ, tū certè
de Ecclesijs & Scholis harum
regionum, ac vel præcipuè de
hac Academia nostra, nec mi-
nùs de nobis ipsis optimè præ-
clarissimeq; meriti summo cum
amore atque honore conserve-
mus. In quam rationem ac sen-
tentiam, nomine & jussu illu-
strissimi cellissimiq; Principis,
Domini CHRISTIANI II
Electoris Saxonix, Fratris no-
stri charissimi & Nostro, ora-
tionem die crastino horâ nona
funebrem, sive potiùs parenta-
lem habiturus est reverendus &

clarif.

INTIMATIO.

clarissimus Vir, Dominus SALOMON GESNERVS, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, ac Professor publicus, noster singulariter dilectus. Ad quam orationem auscultandam, atque ad virtutes & vitæ curriculum Optimi illius, nec unquã sine mentione honorificentissima nominandi Principis, ex ore hujus Viri, quem diximus, cognoscendam, ut cives Academici, omnium ordinum ac facultatum frequentes conveniant, magnopere censemus. Prop. Dominica XIX. Trinitatis.

HOC

1.
HOC NOBIS MOSTUSTERRARUM GRAVES,
hoc juges pluviae minabantur, & ultra sol-
litum caligo solis tenebrosior
denunciabat, quod clementissi-
mus Imperator recessurus esset
è terris. Ipsa igitur excessum eius
elementa mœrebant: Coelum te-
nebris obductum: aër perpeti
horrens caligine: terra quatieba-
tur motibus; replebatur aqua-
rum alluvionibus. Sic Ambro-
sius ante annos mille ducentos
& septem Theodosij Magni o-
bitum Constantinopoli, præsen-
te Arcadio & Honorio Impera-
toris filijs, lamentatus est. Sic &
ego ante annos decem, optimi

B

Prin-

S A-
cro-
ac
ngu-
ora-
ead
Op-
nen-
omi-
jus
cen-
niū
fre-
pe-
ini-

C

Principis ERNESTI LUDOVICI, Ducis Pomeraniæ, &c. mortem deplorabam. *Ambrosius de exitu Theodosij tom. 3. Sacrates lib. 6. cap. 1.*

Terræ enim concussio, non modò id significat, nihil in fugace mobiliq; vita satis tutum haberi, siquidem mundas ipse fluctet, ac partes eius solidissimæ labent: si quod unum immobile est in ipso fixumq;, ut cuncta in se intenta sustineat, nutare incipiat; ut ait Seneca: sed & istud minatur, quod illustres familias, quod principes, quod totas urbes, quod domos, quod universas regiones fatalis conversionis rotatio vibratura, & aliquem fortunarum nostrarum tranquil-

lum
fura
& r
cala
pro
bus
vac
ter
S
Sol
qu
Stu
cap.
salu
tur
tes

lum felicemque Rectorem eli-
sura sit. *Seneca lib. 6. nat. quest. cap. 1.*

O utinam omen hoc esset,
& non tot cladibus multarumque
calamitatum longa iliade com-
probatum experimentum.

Cum Asarias Rex, successi-
bus elatus sacerdotale munus in-
vaderet: ecce, inquit Iosephus,
terra vehementer concutitur,
fissoque supernè templo, radius
Solis os regis improbum ferit,
quod è vestigio lepra conta-
ctum est. *Ioseph. lib. 9. ἀρχαῖα:*
cap. 11. 2. Reg. 15. 2. Paral. 26.

Cum Christus in cruce pro
salute generis humani morere-
tur, terra vibrata, ut Phlegon,
teste Eusebio, annotatum reli-

4 *Parentatio in honorem.*

quit, multa ædificia Nicenæ ur-
bis in Bithynia, & aliquot oppi-
da in Thracia evertit. *Eusebius in*
Chronol. Augustinus de mirabilibus
scriptura.

Ea verò motio non modò
Evangelij per omnes nationes
divulgandi tuba fuit, sicut Do-
minus per Haggæum testatur:
Hagg. 2. 8. Ebr. 12. 26.

Sed simul etiam regnorum
mundi, quæ Christi Spirituali
regno sese oppositura essent,
ruinam evidentissimè porten-
debat. Iuxta infallibile testimo-
nium Danielis, *Dan. 7.* quod la-
pis de monte abscissus, sine ma-
nibus, percussurus esset statuâ,
Imperatorum illam effigiem cœ-

litus

litus ostensam. Anno Christi
supra trecentefimum, quadrage-
fimo quarto, Cum Constanti-
nus Magnus, quinquennio an-
te diem suum obiisset, Arriano-
rum Synodum Antiochiæ colle-
ctam ingens terræ quassatio dis-
sipavit, & Antiochiam totumq;
fermè Orientem per integrum
annum miserabili modo collisit.

*Socrates lib. 2. cap. 7. Hieronymus in
Chronici Eusebiani supplemento.*

Cedrenus.

Valens Imperator Arriana
hæresi contaminatus Ecclesiam
persequi cœpit: Verum totius
orbis horrenda vibratio Tyran-
no exitium nō tam minabatur,
quàm moliebatur. Et cum Iulia-



nus Apostata odio Christiani nominis Iudæis reparandi templi licentiam fecisset, terræ motu ingenti, non solum fundamentorum saxa longè lateq; jactabantur; verum etiam totius loci pœnè ædificia complabantur.

Ruffinus lib. 1. cap. 38. & 39.

Nostra verò memoria quid eiusmodi portentis usitatus? Taceo illa vetera exempla, quorum sacræ profanæque meminerunt historiæ. Redeo autem ad eam quassationem, quam anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo experti sumus. Qui illam in Gallia, Belgio, V Vestphalia, Rhenique litore motus consecuti; longius est, quàm ut brevi oratione recense-

cen-

6
no-
npli
i in-
nto-
an-
loci
tur.
quid
ius?
uo-
ne-
ad
anno
tefi-
fu-
Bel-
e lit-
gius
e re-
nfe-

censeri queat, notius, quàm ut
dolorem commemoratio refri-
care debeat. D. Chytræus in Chron.
& alij.

Quis verò non singularem
in ea vim fati admiretur? Terra
moveatur die Septembris quinta
anni nonagesimi : Christianus
Electoꝝ Illustrissimæ sanctissi-
mæque recordationis hinc evo-
catur eodem Septembri mense,
anni vertentis nonagesimi pri-
mi : Secutum anno nonagesimo
secundo bellum Turcicum, cu-
jus initia & progressum hoc de-
cennio vidimus & audivimus, e-
xitum ignoramus.

Necdum malorum finis.
Nam ut de illa commotione ta-

ceam, quæ anno millesimo quin-
 gentesimo nonagesimo octavo
 hasce terras, & hoc ipsum, cui
insistimus, pavimentum, nostras
ædes, musæa, librosq; impulit:
 eius certè, quæ anni proximè
 elapsi post millesimum quingen-
 tesimum primi, die Septembris
 septima terras Rheno vicinas,
 superioremque Germaniam &
 Sueviam collisit, nisi stupidi su-
 mus, effectumq; eventumq; fen-
 timus, eum nimirum, cujus gratia
hodiernus dies luctui publico
est indictus. Nam si rectè dixit
 regum optimus David, cum im-
 perij sui initia nefaria cæde Ab-
 neri funestari vehementer do-
 leret, *2. Sam. 3. 38.* num ignoratis,

quo-

quoniam Princeps & maximus
cecidit hodiè in Israel? Ego au-
tem adhuc novellus & unctus
Rex. Annon eandem hanc la-
crymabilem vocem ex ore Illu-
strissimi Principis ac Domini,
Domini Christiani II. Ducis
Saxoniae, sacri Romani Imperij
Electoris & Archimarescalli &c.
Domini nostri clementissimi
vos audire vobis videmini? An
ignoratis, vel siquidem ignora-
re minimè potestis, an non unà
mecum deploratis, Principem
Magnum, Imperij columnam
insignem vita excessisse? Fride-
ricum illum Guilhelmum Du-
cem Saxoniae, Landgravium
Thuringiae, Marchionem Mis-

niæ, &c. patruelem nostrum u-
 nicè dilectum? Hanc esse cle-
 mentissimi nostri Domini men-
 tem, ne dubitare possitis, ex he-
 sterno Illustrissimi Celsissimiq;
 Principis ac Domini, Domini
 Augusti, Ducis Saxoniae, Land-
 gravij Thuringiae, Marchionis
 Misniae &c. Rectoris nostri Ma-
 gnificentissimi, Dominiq; cle-
 mentissimi programme, &
 nunc etiam è Celsitudinis ipsius
 lugubri habitu ac praesentia, cui-
 libet animadvertere in proclivi
 est. Solebant Romani, ut Servius
 testatur, populum ad funus per
 praconem evocare his verbis:
 EXEQUIAS L. TITIO L. FI-
 LIO quibus est commodum ire:

jam

jam tempus est: ollus ex ædibus
ecfertur. Ita vos, auditores, IN-
DICTIVUM hoc funus, & quidē
principis, & principis optimi, o-
ptimeq; meriti, animo vobis in-
tuendum in hanc aream collo-
co, & jussu ac mandato Illustris-
simi Domini Electoris, Domi-
ni nostri clementissimi, præco-
nis vice singulos evoco, excito:
Exequias Domino Friderico
V Vilhelmo, Domini Iohannis
V Vilhelmi, Principis præstan-
tissimi filio, Mecænati nostro
meritissimo, quibus est commo-
dum ire: nemini autem debet
esse incommodum: Jam tempus
est, jam justa pertolvendi occa-
sio est.

Mallem equidem, Illustris-
sime Princeps, Auguste, & vos
auditores generosiss: nobiliss:
reverendiss: clariss: ornatissimi,
in communi luctu, quod alij fa-
ciunt, silere, vultuque animi do-
lorem testari potius, quam Ora-
tionis meæ paupertatem palàm
ostendere. Cum verò non pri-
vatæ voluntatis temeritas, sed
demandati officij necessitas in
hunc locum me adduxerit, obe-
dientia malo quam tergiversa-
tione delinquere, parumq; di-
sertus potius, quam ingratus ha-
beri. Præclarè à Persis, si Xeno-
phonti credimus, judicatum
fuit, qui si quem cognorant pos-
se referre gratiam, nec tamen

refer-

referre, in eum severissimè ani-
madvertebant. Ne igitur & e-
go, immò nos omnes erga piissi-
mum, deq; toto nostro ordine
præclarissimè meritum Princi-
pem ingrati videamur, hoc est,
ejusmodi homines, quibus juxta
Laberij Mimum, terra nihil pe-
jus alit: ideo hoc publicæ Gra-
titudinis hostimentum, quale
quale, litare & libare, quod Sa-
cerdotem decet, debui. Illud me
interim consolatur, qualiscunq;
futura est oratio, quod ea in lu-
ctu squaloreq; versatur. Ideoq;
quo minus ornamentorum co-
lorumq; habuerit, eò lugubrio-
rem faciem vultumq; exhibebit.
Disputat alicubi Plutarchus, cur

mulieres Romanæ, in luctu al-
 bas vestes gestare sint solitæ? Et
 hanc rationem adfert: quod ita
 velint esse vestitæ, quemadmo-
 dum defuncti sunt, & quod exi-
 stiment luctum maximè decere
 vilia & simplicia: Quæ autem
 colore infecta sunt, ea partim
 luxum, partim supervacanea-
 rum rerum studium arguere.
 Idem mihi quoq; persuasum est,
 conciunculam hanc meam fu-
 nebrem, funebri suo, hoc est,
 tristi, pullato, inornatoq; habitu
 decenter comptam, ornatamq;
 lugentibus apparituram. *Plutar-
 chus quæst. Centur. Rom. q. 14.*

Sed ut ad id veniamus, cuius
 gratia hæc Panegyris instituta

est,

Ill. Pr. ac D. D. Frid. V Vil. D. S. 15

est, charistia persolvemus in-
to Principi ac Domino, Domi-
no FRIDERICO VVILHEL-
MO in Christo ut placidè ita piè
defuncto; Et quatuor caussarum
momenta in medium adduce-
mus, quæ unumquemq; nostrū
commonere & commovere de-
bent, ut immaturum Ejus obi-
tum deploremus, immortalemq;
beneficiorum ab Illustri Ipsius
Celsit: in nos collatorum me-
moriam conservemus, augea-
mus, propagemus:

*Primum erit Ill. strissima na-
taliū clarita.:*

*Proximum, totius vite sanctis-
sima integritas:*

Tertius

Tertium administrata gub-
nationis excellens dignitas:

Postremum deniq; sincera in
Deum pietas:

Quæ singula dum ego per-
curro, auribus vos, Clementissi-
me Princeps Auguste, Rector
Magnificentissime, Prorector
Magnifice, generosi Barones,
Viri Strenui, Nobiles, Reveren-
di, Clarissimi, Doctissimiq; tuq;
universa nobilissima & lectissi-
ma corona, vos, inquam, omnes
& singuli animis & linguis fave-
te, ne præficarum munus obiis-
se, quibus lucrum ciebat lachry-
mas; sed funerarum officio de-
functi videamur. Ac ut ab eo
exordium capiam, quod & na-

tura

tura primum est, & quod primo loco constitui, de iis, qui majorum imaginibus suam vestire solent ignaviam, verissimum sane est, quod Poëta canit:

*Et genus & proavos, & quæ non
fecimus ipsi*

Vix ea nostra puto:

Interim verò etiam æquissimum censeamus oportet, ut qui in præclara parentum suorum vestigia pedem collocant, virtutumq; sunt hæredes, laudis quoque & gloriæ hæreditariam possessionem sibi vendicent. E soli natura arborem, ex arboris proprietary fructū æstimamus; Cur verò non idem faceremus in præclaris illis Cedris, quæ Christianæ Reipublicæ, ut a pud

Danie-

Danielem est, divinitus exci-
tantur? Daniel 4. 8.

*Fortes enim creantur fortibus
& bonis*

*Est in juvencis, est in equis pa-
trum*

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

Horat. lib. 4. Carmin. od. 4.

Polybius cum Romanorum
Reipublicæ præstantiam insigni
aliquo documento probare vel-
let: Is, inquit, qui de jam sepeliē-
do mortuo pro rostris concio-
natur, etiam de aliis differere in-
cipit, idq; primùm de majore
natu ex his, qui præsentibus sunt,
recensens quid quisq; illorum
consecutus sit, ac gesserit. Un-

de

de fit, ut juventus ad hoc provo-
cetur, ut nihil non pro Reipub.
commoditate ferendum subeat,
quo celebritatem, quæ bonos vi-
ros comitatur, consequatur.
*Polybius lib. 6. paullo ante finem fol. 5.
6. 7. Bas.*

Præclarum itaq; Romanorum
morem nos etiam imitabimur.
Solebant illi, qui laudabantur,
ut ibidem perhibet Polybius,
in elatione nobilium funerum
circumfusi, spectaculo, quo nul-
lum cogitari potest magnificen-
tius, ex ordine fellis Elephanti-
nis federe: nos autem non equi-
dem ex regia illa V Vitikindæa
stirpe, è qua generosissimus hic
flosculus est ortus, encomiorum

telam

telam trahemus: non etiam de
 Friderico Bellicoso Academiae
 Lipsensis fundatore, non de Fri-
 derico, cui placido cognomen
 fuit, atavo, non de Ernesto aba-
 vo, ejusq; fratre Alberto, quàm
 fraudulento plagio ex arce Al-
 denburgica rapti, quàm verò mi-
 rabiliter è raptoris manibus di-
 vina protectione erepti, libera-
 tiq; fuerint, non de aliis dice-
 mus: Nemo laudes Friderici Sa-
 pientis, Ioannis Constantis,
 Ioannis Friderici magnanimi,
 Electorum præstantissimorum,
 quos illustrissimo theatro, non
 quidem in elephantinis sellis;
 sed in immortalis fidei, veritatis,
 & æternæ beatitudinis throno

vobis

Il
 vol
 fem
 cum
 tea
 Etp
 bus
 cup
 fini
 ple
 F
 Ioa
 am
 gul
 tica
 luce
 na
 cen
 mn
 gus

vobis spectandos exhibere possem, à me expectet; de iis enim cum occasione alia, tum instante anno Iubilæo dicendum erit. Et plura de his ecclesiæ luminibus, ac columnibus cognoscere cupientes ad doctissimi Ioh. Rosini libellum vitam eorum complectentem remitto.

Paucis autem accipite patris Ioannis V Vilhelmi præstantiam; quem Deus non absq; singulari quadam futurorum significatione, eo ipso anno, in hanc lucem edi voluit, quo Augustana confessio in clarissimam lucem Imperatoris Caroli V. omniumq; ordinum imperii Augustæ edita ac vulgata est: Et

qualis

qualis quidem ille in teneris adhuc annis fuerit, unum Lutheri encomium abundè testatur. Præfationem etenim ille scripsit in declamationes Illustrium Principum juniorum Saxoniae, Iohannis Friderici secundi, & Iohannis V Vilhelmi, fratrum, quas anno millesimo, quingentesimo quadragésimo tertio, præfente patre Electore Ioanne Friderico & aliquot aliis principibus in totius nostræ Academiæ frequentia summa cum omnium admiratione habuerunt, quam auditu periucundam cognituq; perutilem è tomo quarto Ihe- nensi latino recitarem, nisi tem- poris prohiberet angustia. Viri-

lem

lem
ætate
fam
ejus
præc
ejus
15
hab
clar
tissi
tæ
nec
me
vir
len
rer
stiu
bri
mi

lem autem Iohannis V Vilhelmi
ætatem, & quomodo ille univer-
sam deinceps vitam tranſegerit,
ejus rei Iuſtum ſanè Lipſium,
præconem, vobis commendare,
ejusq; de oratione, quam anno
1573. in Academia Ithenenſi
habuit, nonnulla proferrem, niſi
clariffimum nomen Conſtan-
tiſſimi Principis, turpis Apoſta-
tæ & jam nec juſti ſed injuſti,
nec Lipſij ſed Lapſij, (cuius ta-
men elegantem doctrinam non
vitupero) phaleratis verbõrum
lenocinijs contaminare vere-
rer. Reliqua igitur principis i-
ſtius vita qualis fuerit, è fune-
bri oratione clariffimi Viri Do-
mini Nicolai Reufneri V. I. D.

&

& Professoris in Academia Sa-
 lana, Sympatriotæ mei charissi-
 mî, piè nuper defuncti, cognos-
 cere possunt, qui cupiunt. Me-
 morabilis certè ejusdem pietas,
 veriq; inquirendi cupiditas &
 indefessa industria, luculenter
 patet ex actis colloquij Alden-
 burgici, ubi de justificatione
 potissimû, & Synergismi Sphyn-
 ge tractatum est, cui Pr. Ioan-
 nes V Vilhelmus, in quintû usq;
 mensem, non modò interfuit
 auscultator, sed præfuit modera-
 tor, quod quidem factum anno
 Christi millesimo quingentesi-
 mo sexagesimo octavo, à vige-
 sima Octobris, usq; ad nonum
 Martij anni sequentis. Hoc itaq;

illustris-

illustrissimus noster Princeps
Fridericus V Wilhelmus, hoc, in-
quam, tali patre, Anno Christi
1562. die 25. Aprilis Vinarix
feliciter natus est, qui siquidem
cum illustrissima matre, de qua
postea dicemus, probè intellige-
bat, filium sibi à Deo datum esse,
iuxta Psalmi 127. sententiam:
Ideò nihil prius habuit, quàm
ut istum à Deo sibi datum filio-
lum Deo datori redderet. Me-
mores itaq; pij parentes manda-
ti, quo Dominus ait: nisi quis
renatus fuerit ex aqua & Spiritu,
non potest ingredi in regnum
cœlorum, filium suum ex aqua
& Spiritu per baptismum rena-
sci primò omnium voluerunt.

C

Dein-

Deinde cum probè recordaren-
tur Paulini præcepti, ut parentes
liberos suos educant ὡς πατέρας καὶ υἱοὺς
ὡς θεοὺς καὶ υἱοὺς Ephes. 6. omnem cu-
ram adhibuerunt, ut à teneris,
quod dicitur, unguiculis, ad ve-
ram pietatem cæterasq; virtutes
illustri sobole dignas assuefieret.
Etsi enim principum liberi, ge-
neris nobilitatem & eminen-
tiam à parentibus trahunt: attamen
ut sint principes, qui am-
plissimū hoc nomen re ipsa ex-
pleant, id non ex nativitate; sed
è doctrinæ disciplinæq; institu-
tione adipiscuntur: id quod vel
ethnicus ille Alexandri magni
pater, Macedonum Rex Phi-
lippus, ut scitis, probè intellexit.

cum

cum Aristotelis disciplinae fi-
lium suum commendaret. Et
regum ille ditissimus sapien-
tissimusq; de se scriptū reliquit:
sum quidem & ego mortalis homo,
aqualis omnibus, & soboles terri-
genae illius protoplasti: & ego natus
traxi communem nobis aerem, &
in similiter affectam decidi ter-
ram, primam vocem similem o-
mnibus emisit plorans. In involu-
mentis nutritus sum, & magnis cu-
ris. Nemo enim ex regibus a-
liud habuit nativitatis initium:
μία δὲ πάντων εἶσοδὸς εἰς τὸν βίον
ἔξοδὸς ὅς τε ἴσκει. Unus est omnibus in-
troitus in vitam, & similis exitus:
Ideoq; idem Salomon simul ac à
nutricis uberibus remotus esset,

disciplinæ Prophetæ Nathanis
 traditus est. 2. Sam. 12. Hic ve-
 rò noster non minore laudatissi-
 morum parentum cura, fideiū
 præceptorum informationi cō-
 mendatus est. Fuerunt illi tum
 excellenter docti, tum quod
 maximum est, orthodoxi, Hen-
 ricus Siberus, & Casparus Me-
 lissander S. Theologiæ Doctor.
 Totam rationem institutionis
 explicare longum foret, at non
 inutile nostro auditorio. Au-
 dirēt enim nostri juvenes, quod
 hic tenellus princeps quotidie
 certas studijs assignatas horas
quinas habuerit, quod Psalmos
 memoriæ mādare, & singulis die-
 bus recitare, quod certis diebus Ve-
 teris noviq; testamēti capita le-
 ctitare.

ctit
 rias
 tech
 itar
 cris
 in
 der
 exp
 qu
 gin
 pro
 Ex
 nis
 i.
 ite
 ill
 nu
 qu
 ad

Et itare quod insigniores histo-
rias & dicta annotare, quod Ca-
techismi cū meditatione cubitū
itare, cubituq; surgere; quod sa-
cris è cōcionib. maximè insignia
in memoriæ thesaurum recon-
dere, & poscentibus magistris
expeditè promere fit solitus,
quod Psalmorum ultra quinquā-
ginta, & in his quosdam satis
prolixos, epinicion item Mosis
Exod. 15. Cantica Beatæ virgi-
nis, Zachariæ, Simeonis, capita
1. 2. 3. 17. Ioannis Evangelistæ,
item 53. Esaia, & alia in tenera
illa ætatula memoriter pro-
nunciare potuerit (examine,
quæso, vos Theologiæ studiosi
ad hanc normam vestra studia)

& ut summarim dicā, quod nul-
 lam diem absq; linea abire passus
 sit. Quia verò totam hujus Prin-
 cipis institutionem Henricus
 Siberus, cujus modò mentionē
 faciebam, peculiari scripto ad
 Pr. Ioannem Albertum, Ducem
 Megapolitanum complexus est,
 quod hæreditario quodam jure
 ad te, charissime Adame, perti-
 net, ut publici illud iuris facias,
 idcirco commemorandi labore
 me, vos audiendi tædio sublevo.
 Ac cum ad parentum sedulita-
 tem præceptorumq; industriam
 assiduæ preces accederent, eve-
 nit, ut in tenerrimis illis infan-
 tiæ annis ilicò præclara spes exi-
 miæ indolis, & secutura magnæ

fru-

frugis eluceret. Neq; dubium est
pijsimum patrē crebris sermo-
nibus infantiam Iohannis Fride-
rici Electoris, avi, filio suo, ut
nitidissimum speculum, cui
nunquam non oculum adjice-
ret, proposuisse. Nam ut in
præfatione, quæ formulis pre-
cum religiosissimi devotissi-
miq; illius principis præmissa est,
legimus, Torgæ moris erat, sicut
etiam in reliqua Misnia, ut capi-
ta doctrinæ cœlestis diligen-
tissimè juventuti instillarentur,
certisq; diebus ac horis per sin-
gulas hebdomadas pueri puellæq;
in templū convocati profectūū
suorum rationē pastoribus red-

C 4 derent.

derent. Horum examinum rationem cum Ioannes Fridericus tum adhuc puer annorum octo vel novem cognovisset, longè pulcerrimum certaminis genus existimans, ab Illustri patre, Iohanne nimirum bono, & Constante, precibus subinde contendit, ut sibi quoq; eiusdem Catecheticae palæstræ commilitem esse, interq; pueros specimina pietatis edere liceret. O præclarum, ô rarum exemplum, ô ad omnem posteritatem memorabile tyrocinium; quo illud Psalmi octavivaticinium impletum fuit. *Buchan.*

*Quam pia mundum tueare cura,
Lactentis ævi infantia*

Pro-

*Prodit: ut linguas temere ob-
strepentum*

*Tibi refutes hostium,
Hostium, quorum vomit os fu-
vorem*

In te, sicutq; sanguinem.

Ad hoc igitur pietatis a vitæ
exemplar cum Illustrissimus pa-
ter filiolum exhortabatur, tum
verò etiam linguarum studium
assiduè diligenterq; commenda-
bat, quemadmodum apud Poë-
tam Theodosius senior Hono-
riū filium alloquitur:

*Interea Musis animus, dum mol-
lior, instet*

*Et quæ mox imitere legas: nec
desinat unquam*

*Tecum Graja loqui tecum Roma-
na vetustas*

*Antiquos evolve duces: ad-
suesce futura*

*Militia: Latium retrò te confer
in evum.*

Si quid autem optandum fuit, hoc profectò omnibus subditorum votis quotidie erat expetendum, quod etiam pie diligenterq; factum est, ut optimæ uberrimæq; spei principii unio-ri tam piæ patris cura & educatione diutissimè frui licuisset. Sed Deo in cuius manibus sunt sortes nostræ, qui jubet homines mori, & dicit, revertimini filij hominum, admodum maturè optimo hoc gubernatore patriâ,

fan-

sanctissimo patre filium orbavit.
Mortuus enim est cum non plu-
res, quam quadraginta tres an-
nos haberet, & filius ætatem vix
ad undecimum produxisset: Et
mortuus, quod deplorandum,
tempore alienissimo, anno vide-
licet supra sesquimillesimum se-
ptuagesimo tertio: Quem annū
simul ac appellari auditis, video
vos ingemiscere & lamentabi-
lem, quæ tunc fuit, Ecclesiæ fa-
ciem, mecum tacitis suspirijs de-
plorare: Iamq; ob oculos vobis
versari illos homines, qui in hac
Academia & vicinis, totaq; re-
gione tyrannidem occuparant,
astuta sinceritatis simulatione,
conficto odiosi & execrabilis

Flaccianismi & Ubiquitatis $\mu\omicron\sigma\gamma\mu\omicron\lambda\eta\epsilon\iota\omega$ monstroq; miscabant i-
 malummis, Magistratū & populū
nequiter decipiebant, sicut ipse
 postea Elector Augustus beatissi-
 mæ recordationis in præfatione
 Brevis Confessionis de sacra
 Cœna Domini, Anno 1574. e-
 dita, palam toti Christiano orbi
 de hac hominū illorū impostura
 vehementer conquestus est, sin-
 ceros doctores expellebāt, & de-
 niq; ut Catechismū V Vitebergē-
 sem ac infelicī sidere natum ste-
reoma normā formāq; doctrinæ
per fas & nefas constituere pos-
 sent, nihil intentatum relinque-
 bant. Cum itaq; noster Dux Fri-
 dericus V Vilhelmus patrem nō

amplius

amplius haberet in terris, tum
verò illū se habere Patrem mul-
tò luculentissimè expertus est
in cœlis, quem & Israëliticus
ille Rex patrem suum unicè ag-
noscit, unicè prædicat, Cum: In
te, inquit, projectus sum ex ute-
ro, *Tu es spes mea ab uberibus ma-
tris meæ: De ventre matris meæ
Deus meus es tu, ne discesseris à
me, Psal. 22.*

*Item: Quoniam pater meus &
mater mea dereliquerunt me:
Dominus autem assumpsit me.
Psal. 27.*

Idem proinde benignissi-
mus pater, nostro quoq; Princi-
pi, in locum piè defuncti paren-
tis tres excitavit alios qui felici-

ter præstiterunt id, quod patris
 superstitis cura præstare debu-
 issent. Primas enim meritò sibi
 naturaq; propinquitate vendi-
 cat illustrissima mater, Susanna
 Dorothea illa Palatina, Prin-
 ceps lectissima, de qua noster
 Reufnerus testatur, quod omni-
 nò femina fuerit digna illis,
 quas aurea condidit ætas: planè
 pio & benigno animi affectu er-
 ga sacrum ministerium, ejusque
 doctores & confessores, ut &
 pauperes & alios prædita: æmu-
 la in eo Philes Antipatri filia:
 æmula item Placidia Theodosij
 uxoris, aut etiam Pulcheria so-
 roris ejusdem, de quibus est a-
 pud Sozomenum & Theodo-
 retum.

ill
 retu
 tion
 rom
 Egn

esse
 ti, (C
 quin
 Phi
 se D
 tis
 Lec
 dof
 Imp
 riar
 He
 spl
 qu
 inf
 Int

retum. Sic ille: *Reusnerus in Oratione funebri. Diodorus lib. 19. Sotom. lib. 7. cap. 6. & lib. 9. cap. 1. & 3. Egnatius lib. 2.*

Ac nisi temporis habenda esset ratio, recenserem juventuti, (Domini Collegæ enim alioquin norunt) quibus virtutibus Philam Antipatri filiam enituisse Diodorus, quibus ornamentis Eudociam sive Placidiam Leonis Philosophi filiã, Theodosij uxorem, nec non ejusdem Imperatoris sororem, Pulcheriam in fœminarum choro, ut Hesperus solet inter stellas, splenduisse Cyrillus, eo opere, quod Reginis, iis nimirum ipsis inscripsit, testatum reliquerit. Intelligitis jam, opinor, cujus-

modi

modi Matrem noster Princeps
 habuerit, á qua post obitū præ-
 stantissimi Patris optimè dili-
 gentissimeq; educatus est. Ac-
 cessit ad matris Serenissimæ cu-
 ram, Illustrissimi quoq; tutoris
 paterna fides & industria. Cum
 enim Princeps Ioannes V Vil-
 helmus, pater, ex æumnosæ hu-
 jus vitæ curis liberatus, inq; cæ-
 lestem illam curiam, omni cu-
 rarū molestia vacantem trans-
 latus esset, Elector Saxonix,
 Augustus, ut proximus agnatus;
tutelam pupillorum ac totius
 ditionis administrationem sus-
 cepit, & arcano quodam divi-
 ninuminis instinctu, præfagi-
 tioneq; animo intrinsecus in-

jecta

jecta atq; iuclusa divinitus, ope-
ram dedit sedulo, ut talem edu-
caret nostrum Principem, qua-
lem olim suis nepotibus optare
posset tutorem, suisq; subditis
Electoatus Saxonici Admini-
stratorem. Quæ, profecto, spes
ipsum, ut audiemus, minimè fe-
fellit. Ac tametsi sub initium
tutelæ propter hominum pec-
cata, ea calamitas incidit, quam
paulò ante deplorabam, quæ
non modo Electoatum Saxo-
nicum miserè convulsit, sed et-
iam pupillorum Academiam &
ditionem non leviter afflixit,
Principiq; Friderico Guilhelmo
præceptores, viros orthodoxos
eripuit, quod ipsum sæpè deplo-

rasse

rasse perhibent, quibus usus est propioribus: Secuta tamen est ea rerum conversio paterna Dei providentia, qua lupi in ovili Domini insidiosè grassantes sunt agniti, justoq; Dei iudicio ad poenam vocati; veritas & sinceritas doctrinae ecclesijs restituta, tandemq; condito sanctissimo Concordiae opere, omnibus inter Theologos Augustanae confessioni addictos controversijs finis est impositus. Postremam deniq;, sed licet ordine postremam, re tamen minimè postremam operam in rectè laudabiliterq; educando Principe Friderico Guilhelmo privati præceptores & magistri deberūt. In pri-

mis

est
est
Dei
vili
fuit
ad
nce-
uta,
imo
in-
on-
rlij
nam
tre-
tre-
bili-
ide-
ep-
pri-
mis

mis autē inclyta Ihenensis Aca-
demia præstitit. Ea enim cum in
memoriam beneficiorum à pa-
tre, avoq; istius principis libe-
raliter sibi præstitorum rediret,
sui numeris esse existimavit,
graviter anniti, ut amantissimus
iste Rutæ Saxonice sirculus su-
is in viridarijs in emolumentū
totius Reipublicæ feliciter ar-
borefceret. Qui conatus ut in
Domino benè susceptus, ita eo-
dem favorabiliter annuente ne-
quaquam inanis fuit. Quando-
quidem princeps noster Recto-
ratum Academiæ Ihenensis an-
no 1574. à professoribus sin-
gulari studio & observantia hu-
militer oblatum magna cum

laude

laude & admiratione omnium
 sustinuit, gessit, exornavit. Ac
 quemadmodum Cyrus puer,
 apud Herodotum, Astyagirationem
 reddens coætanei & col-
 lusoris à se inter ludendum in-
 clementius tractati, ita respon-
 dit, ut crudelissimus avus è ser-
 mone statim animadverteret, il-
 lum nequaquam è fece infimæ
 plebis, sed de meliore luto, ut
 cum Poëta loquar, fictum for-
 matumque esse. Dicebat enim
 ὦ δέσποτα, ἐγὼ ταῦτα τῶτον ἐποίησα
 σαὺ δίκη, οἱ γὰρ μὲ ἐκ τῆς κώμης
 παῖδες, τῶν κῆ ὄδε ἦν, παίζοντες
 σφέων αὐτῶν ἐσήσαντο βασιλέα. ἐδό-
 κεον γὰρ σφι εἶναι ἐξ τῶτο ἐπιτηδέωτα-
 τοῦ: Istud, inquit, here ego jure
 feci. Pueri enim pagani, quorum

hic

hic unus erat, me regem suum
ludentes constituerunt: quippe
qui videbar eis ad hoc maximè i-
doneus; Ita in nostro quoque
principe τὸ κυβερνητικῶν singulari
dexteritate mirum in modum
in prima illa ætate jam tum ef-
floreſcebat, ut è ſcholasticæ gu-
bernationis tyrocinijs facilè in-
telligi poſſet, qualem Respub-
lica gubernatorem eſſet habi-
tura.

Traducta hunc in modum
pueritia & adoleſcentia, cum
iam annum ætatis vigefimum
primum ſuperâſſet, eſq; ſacrarū
literarum; quas diuturna no-
cturnaq; manu verſabat, lectio-
ne, concionumq; auſcultatio-
ne,

ne,

ne, didicisset, verissimum esse Creatoris verbū: *Nem est bonum homini esse soli*: animum ad conjugium convertit: eamq; rem inde exorsus est, unde omnium humanarum actionum felices successus fluunt, ab invocatione nimirum Dei, qui autor est castissimi ordinis. Infixum enim erat principi Salomonis apophtegma: *Domus & divitiae dantur a parentibus, a Domino autem uxor prudens*: Infederant animo exempla Regum & principum, quorum gloriam, fortunasque conjuges vel meliores vel deteriores fecerant. Meminerat enim a veterum quodam dictum esse: M. Antonium

Philo-

Philosophum inter Optimos
Imperatores numerari meritò
potuisse, nisi Faustina[m] habuis-
set conjugem: Recordabatur
Achabum 3. Reg. 16. regem Is-
raeliticum horribili impietatis
voragine absorptum non fuisse,
nisi Iesabel, regis Sidoniorum fi-
lia illi in matrimonium accepta
fisset: sciebat Arcadij Impera-
toris laudibus nō facile eluen-
dam maculā aspersisse Eudoxiæ
adversus Chrysostrum impla-
cabile odium. Cum itaq; Deum
diu multumq; invocasset, ut cō-
jugem sibi piam & omnib9 prin-
cipe dignis virtutibus insignem
cōciliaret, gravi tandē maturoq;
consilio, Sophiam, Illustrissimi

Prin-

Principis ac Domini Domini
 Christophori Ducis VVirten-
 bergici &c. generosissimam fi-
 liam nactus est uxorem, eam vi-
 delicet faminam, quæ cum suis
 ornamentis fuit cumulatisima,
 tum verò paternis laudibus lon-
 gè omnium illustrium fæmina-
 rum in Germania spectatissima.
 Chrⁱstophorus enim VVirten-
 bergicus inter omnes post ho-
 minum memoriam illud Xeno-
 phontis tanquam de se dictum,
 iure optimo usurpare potuit:
 ἀρχων ἀγαθός ὁ δὲν διαφέρει πατρὸς
 ἀγαθῶν, *Bonus princeps nihil differt*
à bono patre. Xenophon pedag. Cyri
lib. 8.

Et quoniam in laudes ejus
 excurrere Orationis me non si-
 nit

nit angustia, verbo rem comple-
ctar: talis omninò fuit, qualem
se sanctissimus Iobus in conspe-
ctu Dei καὶ ἰσχυρῶς & magna con-
stantia testatur: Iustitia indutus
sum, & vestivi me sicut vesti-
mèto & diademate, iudicio meo.
*Oculus sui cæco, & pes claudò: pa-
ter eram pauperum, & causam
quam nesciebam, diligentissimè
investigabam. Iob. 29.*

Hoc conjugium is, cuius
auspicijs ductuque inchoatum
fuerat, foecundum etiam & ju-
cundum reddidit: quandoqui-
dem è Sophia V. Virtenbergica
princeps noster duos filios &
tres filias quinquennali periodo
suscepit. Quia, verò verissima

D sem-

mini
en-
fi-
vi-
fuis
ma,
lon-
ina-
ima,
ten-
ho-
no-
um,
cuit:
xTgòs
ffert
Cyri
ejus
on si-
nit

semper est Domini sententia ,
 qua dicit: *Apoc. 3. 19. Ebr. 12. 6.*
Prov. 3. 11. Ego quos amo , arguo
& castigo: idcirco novorum con-
 jugum fidem, pietatem, patien-
 tiam, constantiam immatura
 morte trium è charissimis liberis
 exploravit, siquidem princeps
 Dorothea Maria Anno 86. cum
 ad bimatum hebdomadas septen-
 decim addidisset, & sequente
 deinceps anno suavissimum cor-
 culum Princeps Fridericus, qui
 τετραμηνος erat, paucisque in-
 terjectis diebus dux Iohannes
 V Vilhelmus secundus, qui o-
 ctodecim menses vivendo trans-
 ierat, placidè in Christo obdor-
 miverunt. De quibus non inde-

center

center illud pronunciare possu-
mus, quod B. Augustinus jam o-
lim de innocentibus illis ab He-
rode contrucidatis condidit:
*O parvuli beati, modò nati, nun-
quam tentati, nondum luctati,
jam coronati.* Vel potius illud sa-
pientissimi mortaliū: *Placentes
Deo facti sunt dilecti, & viven-
tes inter peccatores translati sunt:
rapti sunt ne malitia mutaret in-
tellectum eorum, aut ne fictio de-
ciperet animam illorū, Sap. 4. v. 11.*
Superstites tamen mansere ex i-
sto conjugio Dorothea Sophia
& Anna Maria, principes gene-
rosissimæ, quibus in summo mæ-
rore constitutis ut pater omnis
cōsolationis efficacissimū cōso-
latis onis robur spiritu suo gratiæ

& precium inspirare velit, æquū est nos illum serijs votis & gemitibus invocare.

Cum hoc tam acerbum vulnus vix paululum in cicatricem coaluisse videretur, mox cicatrix in vulnus, idque multò acerbius profundiusque redijt. Anno etenim supra millesimum quingentesimum nonagesimo, post charissimorum verò liberorum funerationem tertio, principi nostro sophia uxor iucundissima, cum è comitatu Nassaviensi domum rediret, intempestivis partus doloribus oppressa & erepta est: quo miserabili casu sensit Princeps, qui è nupera cha-

ri si-

rissimorum liberorum orbatione nondum sese penitus collegerat, geminum & prorsus inconsolabile, si humana spectes remedia, cordolium: tum quod cordis sui partem longè preciosissimam crudeli mortis falce sibi descindi perpeffus est, de cuius vinculi acerbissima divulsione Poëta verè loquitur:

*Non dolor est major quam cum
violentia mortis*

*Vnanimi solvit corda ligata
fide:*

Tum verò quod calamitatem Rahelis experiri necesse habuit. Quid verò tristius est, quàm.

*Cum matrix vite fons atq; sca-
tebra sepulchrum est.*

*Inq; uno geminum funere fu-
nus obit.*

Benignissimus autem pater
cœlestis, qui suis dilectis filijs or-
nus quidem imponit, ipse verò
maxima eos parte subleuat ut
psalmographus ait, *Psal. 68. nec
sinit quenquam tentare ultra vi-
res, sed exitum è calamitatibus
ejusmodi patefacit, ut sustinere
queamus. 1. Cor. 10. qui deducit ad
infernum & reducit, qui infligit
vulnera, & inflicta sanat, qui oc-
cidit & vivificat 1. Sam. 2. idem
ad sanandum immedicabile, ut
videbatur, vulnus manum suam
extendit, illam nimirum de qua*

Psal-

Plates, *Dextera excelsi omnia mutat. Psal. 77.* Hinc factum est, cum legitimum tempus veterum lege & more sancitū princeps laudatissimus eluxisset, ut multis precibus invocato divino numine, secundis nuptiis animū adjunxerit, & anno abhinc undecimo Illustrissimā principē ac Domīnā, Domīnā Annā Mariam, Illustrissimi principis ac Domini, Domini Philippi Ludovici Palatini ad Rhenum, &c. filiā lectissimā ornatissimamq; matrimonio sibi copulaverit.

Hoc divinius exhibitum solatium comitabatur alterum, licet complurculorum annorū intervallo dilatatum videretur.

Sexto enim post nuptias anno, qui erat millesimus quingentesimus nonagesimus septimus, Princeps Anna Maria Iohannem Philippum, anno deinde proximo Annam Sophiam, tertio Fridericum, & quarto Iohannem V Vilhelmum, quartū eius nominis, quinto deniq; qui proximè præterlapsus est, Dorotheam, principes illustres Torgæ feliciter enixa est.

Quod si veteres πολυτεκνίαρ & ευτεκνίαρ sapienter in maximis præcipuisque bonis numerarunt, quid, amabo, animi fuisse optimo Principi existimatis? Quoties, obsecro, cor ipsius hoc tam amœno amorisq; pleno

specta-

spectaculo supra modū cordicito
& ex animo gestijisse creditis?

Agessilai regis clementiam
ac mansuetudinem eo etiam
argumento commendant, quod
adeò fuerit erga liberos suos
φιλόσοφος, ut eccluso cænacu-
lo, remotisq; familiaribus, non
puduerit ipsum cum infantibus
suis, ut Poeta ait, ludere par im-
par, & equitare in arundine lon-
ga, Et quod cuiusdam fortè inter-
venienti, factumq; miranti sub-
jecerit, ne cui id diceret, prius-
quam ipse etiam liberos pro-
creasset. *Plutarchus in Agessilao.*
Quis verò dubitat cor nostri
principis prorsus incredibili
& inexplicabili φιλοσοφίας ardo-

re inflammatum fuisse, quoties
 quinquennalem hanc messem,
 generosissimis spicis, ita distin-
 ctam, ut prima secundam, secun-
 da tertiam, illa quartam, ista de-
 niq; quintā anni unius, spacio,
 non amplius superaret, intui-
 tus est? Rarum, bone Deus, tuæ
 benedictionis in conjugio ex-
 emplum ad eam classem primo
 loco referendum, de quo Psal-
 tes canit.

*Umbriferolatus omne domus ut
 palmite vitis*

*Ambit & avarum amplexatur
 messe fenestras:*

*Sic tua, si bonus es, fundumq; a-
 grumq; domumq;*

Sedula

M. Pr. ac D. D. Frid. V Vil. D. S. 59

*Sedula curarum septo circumli-
gat uxor.*

*Vtq̄ olea ex olea tempe vivacibus
ulnis*

*Circuit, & fluido fecunda nite-
scit olivo:*

*Agmen natorum felici munere
divum*

*Cinctu haud dissimili circumstat
amabile mensam.*

Pro his autem Dei in se in-
gentibus beneficijs gratū quoq;
sefe divinæ bonitati princeps
noster exhibuit: cū probè nol-
set, *de domo ingrati non recedere
malum, Prov. 17. 13. & ingrati-
tudinem, ut quidam ex sanctis ait
patribus, esse ventum urentem, qui
fores & scatebras gratiarū exsiccet.*

D 6

Qua

Quare cum Christum haberet vera vivaq; fide in corde habitantem: fides quoque eius minimè fuit ociosa, sed per charitatem efficax. *Ephes. 3. Galat. 5.* Hinc itaque & ex hoc fonte fidei ac officina sancti spiritus, pulcerrimus chorus virtutum promanabat, & quotidie affatim profluebat.

Ac sicut regula oportet sit ipsa recta, non obliqua, quo cætera dirigat adæquans illa, ut Philosophi utar sententia, quæ ei cohærent & adiunguntur: Perinde operam dedit noster princeps, ut constitueret primum seipsum, ac dirigeret imperium, moresque componeret,

dein-

deinde adcommodaret sibi populares suos. Neq; enim labentis est erigere, neq; erudire rudis, neq; componere incompositi, neq; ordinare inordinati, neq; imperare non Deo rationiq; parentis.

Habebat animo suo penitissimè defixum, quod Salomon ait: *Clementia preparat vitam: misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus. Prov. 16. & 20.* Proinde frequenter ex ipsius Celsitud: ore hoc ἀπομνήμευμα auditum fuisse testantur plurimi. Ex conspectu principis non facile tristem aut turbatum quemquam dimittendum esse: testantur insignem

Friderici V Vilhelmi clementiam, benignitatem, humanitatem & mansuetudinem subditorum querelæ & voces liberæ, quæ nunc passim audiuntur, quod ajunt, se non principem, sed amicum, non amicum sed patrem, non patrem, sed fratrem morte benignissimi principis amisisse. Alperitatē σκυδρωπασμον, tetricumq; vultum, quem Christus in Phariseis detestatur, *Luc. 24. Matth. 6.* multi ad auctoritatem conciliandam nobilibus viris plurimum adjumenti conferre opinantur, quos festivè Philosophus cum statuis & colossis comparat, qui vehementer ductis tibijs, ventreque & vul-

tu ampliter inflato Magnificam speciem, repræsentant: Tantum autem abfuit, ut noster princeps in eorum sententiam deflecteret, ut sibi id persuasum potius semper habuerit, reges & principes ideò serenos & Clementes vocari, ut serenitatem clementiamque animo gerant, sermone promant, vultu explicent. Ideoq; Fredericus, hoc est, dives pacis, & quæ hujus mater ac nutrix est, clementiæ, non appellari saltem, sed esse voluit. Clementia enim, affabilitas, mansuetudo & humanitas decem tribuum Imperium Davidi conciliavit,

duri

durities, austeritas Roboamo
nepoti dissipavit. 2. *Sam.* 5. 1.
Reg. 12.

De Theodosio scribit Sext.
Aur. Victor. Clemens erat illi
animus, misericors, communis:
solo habitu differre se à cæteris
putans: in omnes homines ho-
norificus, verùm effusus in bo-
nos: simplicia ingenia æquè di-
ligere, erudita mirari, sed haud
noxia. Quapropter Dux Fride-
ricus V Vilhelmus non modò
erga alios sed etiam erga eos,
qui deliquerant, clemens fuit,
perfacilis & perbenignus, eaq;
in virtute pro patrum suum,
Fridericum Sapientem, imita-
tus est, cui Lutherus hoc apo-

phtegma

phlegma tribuit, quod dicere sit solitus: *Facile quidem adimi vitā alicui posse, sed restitui nemini posse. Luth. in Coll.*

Quodq; Ambrosius de Theodosio, idem nos de nostro dicere possumus: *Beneficium se putabat accepisse, cum rogaretur ignoscere, & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ. Ambros. in obitu Theodosii.*

Ac cum clementiæ nihil tam fortiter & insidiosè adversetur, quàm iracundiæ, idcirco hunc ille præcipitem affectum, & principibus pessimum consultorem, ut à Carolo V. appellatum Iustus Jonas Theologus

ali-

alicubi testatur, non tam cohibuit, quam planè exuit; *In epist. ad Luth. in hist. august. Confess. D. Chytr.* qua in re non modò divinarum humanarumque literarum institutionem & doctrinam sequebatur, quod nimirum memoria tenebat & semper in ore habebat illud Psalmistæ: *Irascimini & nolite peccare: Psalm. 4. Ephes. 4.* & subinde recordabatur aurearum sententiarum, quas Plutarchus in libello de fugienda coërcendaque ira, alijq; alibi collegerunt: sed summorum principum exempla nunquam non in oculis animoque eius habitabant. Nam sæpè auditum, lectumq; sibi no-

rat,

rat
soph
disc
ulti
rit,
se v
secu
ele
Ec
Th
fur
tis
cen
dic
pri
qua
ces
à se
beb

rat, quod Athenodorus Philo-
sophus, à C. Octavio Augusto
discessurus, eiq; valedicens,
ultimum hoc præceptum dede-
rit, cum irasceretur, *ut nihil an-
te vel diceret vel faceret, quam
secum viginti quatuor orationis
elementa sive literas repetisset.*
E concionibus quoq; inhælerat
Theodosij præceps & crudelis
furor, quo plurimum innocen-
tis sanguinis apud Thessaloni-
censes injustè effusum est. Di-
dicerat, pro patrum suum
principem sapientissimum, si
quando ira ipsum invasit, dis-
cessisse in cubiculum, dimissis
à se omnibus, cum quibus ha-
bebat negotium, nec prius ad

confi-

consiliarios rediisse, quam crudelitatem concoxisset & ratione perdomuisset. *Rosin. in Vita trium Electorum.*

Talibus institutis cum firmatum munitumque haberet Illustrissimus Dominus animum, id ei evenit, quod de altissimis montibus tradunt Philosophi: supra Olympum enim Athon aliosque ventorum impetus ascendere negant, idque eo probant experimento, quod cineres de sacrificijs, impressaque cineribus vestigia eodem situ inturbata sequente anno reperiantur, quo à sacrificantibus superiore relicta fuerint. *Aristot. in meteorol. & problem.*

Ita

I
bus
run
ren
ina
Ex
ber
ian
no
le
qu
te
ex
ab
fu
lic
tu
Si
pe

Ita eodem ille modo omnibus iracundiæ aliorumq; noxiarum affectuum procellis celsiorem gessit animum, mentisque inaccessam & quietam curiam. Ex eadem verò clementiæ & benignitatis scatebra fluxit etiam liberalitas, quod princeps noster pauperes largissimis eleemosynis sublevavit, eorum, qui in scholis & Ecclesijs docere tenuiora stipendia ampliavit, exules suscepit, fovit, com meatu abundè instruxit: erga ministros suos munificus & beneficus fuit: licet ipse agnosceret & fateretur, quæ olim etiam Imperator Sigismundus affirmaverat, experientia se se edoctum esse,

quod

Ita

quod fructus beneficentiae publi-
ca principum saepe non tam ad
eos redeat, quibus ex merito,
quàm quibus ex destinato quodam
fato debeatur.

Desidiam & ignaviam, ut im-
perialium virtutum pestem no-
centissimam, maximo profe-
quebatur odio, rebusq; agen-
dis diligentissimè advigilabat.
Sic enim à prima statim adole-
scentia institutus erat, ut Ho-
mericum illud non tam sciret,
quàm faceret:

ὁ χρὴ παννύχιον βουλευόμεν ἄν-
δρα καθεύδειν :

*Non stertit pernox benè consul-
turus amicis.*

Rex

Re
chus
cuius
ingro
ge R
foro
ram.
qui
rum
idol
dro
Princ

E
prin
eum
benè
dice
mas
nom

Rex Persarum, ut ait Plutar-
chus, unū habebat cubiculariū,
cuius hæ partes erant, ut manè
ingrediens ad eum diceret: Sur-
ge Rex, ac cura ea, quorum Me-
soromasdes tibi imposuit cu-
ram. Mesoromasdes autem,
qui & Oromasdes, Chaldæo-
rum, Medorum & Persarū fuit
idolum, quod Moyfes Vr Chal-
dæorum nominat. *Plutarch. ad
Principem indoctum.*

Eruditus noster & sapiens
princeps in præcordiis habebat
eum, qui hoc ei singulis diebus
benè manè voce antelucana e-
dicebat & iubebat, non Oro-
masdæ, sed Dei omnipotentis
nomine.

Sicut

bli-
ad
co,
lam
im-
no-
se-
gen-
bat.
le-
Ho-
ret,
ov-
sul-
Rex

Sicut onerariæ naves, quæ vehementi vento & fluctibus agitantur, multa opus habent laburra & gubernatore magno: Ita omnium prudentium consensu principibus & regibus plurima variaq; doctrina opus est, quibus seipsum suos regere, & in officio continere queant. Noster itaque Fridericus V Wilhelmus eruditorum libris & literarum studijs nihil habuit prius, nihil antiquius: ac proinde, quoties à Reipublicæ negotijs aliquid nactus erat temporis, in bibliothecam se abdebat, nunc insignes historias evolvens, nunc Poëtarum & Oratorum sententias colligens, nunc ipse com-

men-

mentationibus sese exercens: Illâq; suâ industria eò usq; progressus est, ut non modo linguæ latinæ, sed etiam aliarum, & præcipuè exoticarum cultissimæq; omnis generis doctrinæ insignem cognitionem ac copiam acquisiverit. Testatur hoc, quam multis sumtibus collegit, bibliotheca, testantur libri, quos I. C. evolvit, & margines propria manu notavit: testatur typographia, quam intra arcem nitidissimis typis instruxit, & quoties per occupationes licuit, crebrò revisit: politissimæ doctrinæ monumentum est, ad omnem posteritatem, quod homilias B. Lutheri germanicas à

M. Iohanne V Vanckelio stylo
gravi & accurato in linguam
latinam traduci, caractere ve-
rò pulcherrimo, papyro mun-
dissima excudi voluit.

De Friderico Sapiente Ele-
ctore, Rever. Clarissimusque
Theologus David Chytræus
commemorat, quod historia-
rum compendium temporumq;
& monarchiarum seriem per-
scribi sibi curaverit, ut totius an-
tiquitatis faciem semper in
conspectu haberet, indeq; quo-
ties opus esset, exempla in gra-
vissimis deliberationibus de-
promeret, quodq; in primis de-
lectatus fuerit lectione Trogæ-
diarū Senecæ, & alterius Senecæ

episto

epistolis, ac Horatio, & ex iisdem authoribus insigniores sententias schedulis inscriptas parietibus affixerit, ut frequenti intuitu & in ertione memoriae impressa suo loco & tempore occurrerent, quarum nō contemnendam farraginem ibidem recenset. Fuerunt autem inter alias, istæ quoq; memorabilibus in Musæo tabulis adscriptæ: *Nihil magnum, quod nō sit placidum, ut Seneca locutus est, Seneca lib. 5. de Clem. cap. 1. ut Sol, cum venit in summum fastigium, tardius incedit: ita in summa potestate cunctantius & moderatius omnia agenda sunt, ut Plutarcho visum est; Et hæc: Moderata*

durant: nec non istud Horatianum:

Vis consili expert mole ruit sua:

Et illud Senecæ: *Quo plura possis, plura patienter feras*: Et quid opus est recensere reliquas gravissimorum authorum gnomas, quas ille princeps instar gemmarum in precio habuit? Si verò iisdem adijcerentur illæ, tàm memorabiles historiæ, tum sapientissimæ apophtegmatum regulæ & stellulæ, quas noster princeps Fridericus V Wilhelmus, partim exscripsit, partim in libris minio subduxit, pulcerrimum & amænissimis flosculis refertissimum, ita me Deus amet, Enchiridion inde conficeretur, quo principum,

magna-

magnatumq; liberi, & non modo horum liberi, sed ipsi quoq; principes & magnates utilissimè frui possent, eumq; laborem aliquem è familiaribus nostri principis suscipere, & Christianæ Reipublicæ præstare ego sanè meo loco eò vehemèntius exoptaverim, quò libentiùs talia virtutum emblemata & præcepta accipiuntur à magnatib; quando magnatum manu operaq; tradita porriguntur: Eryngio vulgaris herbæ, quam nos *Mansstrew / Brachendistel / Kadendissten / Wallendistel* nuncupamus, eam vim inesse scribit Plutarchus, ut si una capra in os sumserit, illa ipsa simulque reliquus

grex consistat, quousq; accurrat
 caprarius, herbamq; ex ore exi-
 mat. *Plutarchus in libello cum princi-
 pibus maximè debere philosophiam ser-
 minari.*

Usque adeo ac res efflantur è re-
 bus vires, quæ proxima quæque
 depascuntur, diffundunturq; in
 ea. At elegans aliqua & erudita
 philosophi, sive Oratoris, sive
 poëtæ sententia, vel etiam illu-
 stris historici narratio, si ma-
 num injecerit homini uni pri-
 vato, qui capiatur ocio, circum-
 scribatq; se ipse, sicut centro &
 spacio Geometrico utilitatibus
 corpori servientibus, ut ple-
 rumq; fieri solet, hic suam eru-
 ditionem non profeminat in a-
 lios:

lios: sed cum tranquillum illum unum reddiderit, & pacatum, emarcescit, exolescitque. Sin autem virum in magistratu positum politicum & negotiosum pupugerit, eiq; infuderit virtutem, hic multis per unum illum principem profecerit: ceu Anaxagoras cui propior cum Pericle usus fuit: Plato cui cum Dione, & Pythagoras cui cum optimatibus Italiae.

Durus de Pasculo in libello aulici politici ait: Aulicus & miles in eo differunt, quod miles soleat ut plurimum aperte ac simpliciter similtates exercere: idem habet in ore, idem in corde: Contra aulicus fingit, simulat, decipit etiam,

*si occasio patitur. Durus de Pasculo
propof: 324.*

Verba eum facere nō de gregarijs vel militibus vel aulicis libelli & commentationis scopus indicio est: quodq; non de officiosis, uti vocantur, mendacijs loquatur, sed de fraudulentis ipsa Orationis proprietas arguit. Tribuit itaq; militi simplicitatem, aulico politico versutiam & fraudulentiam: militi linguæ & animi consensum, politico eorundem dissensum, militi candorem, aulico fictionē, simulationem, etiam deceptionem. At verò noster clementissimus Dominus, Dominus Fredericus V Vilhelmus nec fingere,

re, nec simulare, multò minùs
decipere potuit. Mira fuit in eo
animi cū lingua consensio. Fu-
cati aut simulati in hoc princi-
pe, liceat mihi, mi Reverende
Domine D. Myli, eadem quæ tu
Ihenæ dixisti, V Vitebergæ repe-
tere, prorsus nihil fuit, nihil non
erat in ipso nativum, nihil hîc
asscititium, nihil astutè simulatū
erat: &, quod de Marco Anto-
nio Imperatore, totidem verbis
scriptum Dion reliquit, *animam*
in fronte gestavit. Ergone parùm
fuit aulicus, parùm politicus?
Sanè si Duro fidem adhibea-
mus. Atqui tales aulicos Da-
vid è sua aula ad Garamantas &
Indos deportari, tales politi-

cos è sua politia perpetuum ex-
ulare voluit: Psal. 101. Non to-
leratur apud me, inquit, cor pra-
vum, versutum non cognosco: ani-
mus peruersus recedet à me: qui
lingua ledit clam proximum su-
um, eum excindam: oculi autem
mei attendunt ad veraces terre,
ut confideant mecum: ambulans
via integra, is ministrabit mihi.
Neq; verò tales aulici, quales
Durus describit in cœlesti aula
& sanctorum subellijs locum
invenient. Siquidem illi qui
transmundanam Christi aulam
ingredi volunt, iam olim hac
nota insigniti sunt, quod loquan-
tur veritatem ex intimo corde cū

proxi-

proximo suo, neque dolam lingua
committant. Psal. 15.

Ad infernalem verò aulam
& Plutonis carcerem aulici il-
li politici, quales vult esse Ma-
gister de Pasculo, jam olim con-
demnati sunt, idq; non modò
Spiritus sancti pronunciato, sed
Ethnicorum etiam candidorum
calculo: Sic enim aulicus ille
Homericus Achilles ad πολυ-
μίχανον Ulysssem fatuit:

ἔχθρὸς γάρ μοι κἔνθ' ὁμῶς αἰδέο
πυλῆσιν.

ὅς ἔ' ἕτερόν μιν κεύθει ἐνὶ φρεσίν,
ἄλλο δ' εἴπει. Hom. Iliad. 9.

Hunc ego ceu portas inferni carceris
odi

Qui, quàm lingua sonat, diversum
in pectore claudit.

Iam quemadmodum erga subditos clemens & benignus, erga familiares candidus & syncerus, sic etiam erga Cæsaream Majestatem fidelis fuit. Eam enim exemplo majorum, & in primis avi, Iohannis Friderici, Electoris, tanquam supremum à Deo datum magistratum reverèter & debita subiectione coluit, nullumq; obediētis subditi ac principis officiū à se unquam alienum putavit, aut detrectavit, modò confessionem synceræ doctrinæ Evangelij liberam & incorruptam retineret. Ejusq; erga Cæs. Majest. fidelitatis usq; adeo observantem sese præstitit, ut hoc nomine invidorum

fini-

sinistros rumores & obtreccationes evitare nō potuerit. Quibus autem nos constantissima veritatis certitudine rectè possumus opponere illud, quod olim de C. Fabritio, nobilissimo Romanorum Pyrrhus Epirotarum Rex pronunciavit, si verba nostris rebus adcommode-
mus: quòd nimirum facilius fuerit solem à cursu suo dimovere, quàm hunc principem à pietate, veraque confessione. Eutrop. lib. 2.
Aurel. Vict: In viris Illustr: Hac manente integra, cum Iohanne illo Constante, avo suo, probè semper illustris ille nutritius noster intellexit, dixit, re ipsa expressit: Deo, quæ Dei essent,

& Cæsari, quæ ad ipsum pertine-
rent, danda esse. *Matth. 22.*

Tempus me prorsus defice-
ret, auditores, si de cæteris nostri
principis heroicis virtutibus pa-
ri orationis cursu differere vellê:
uno itaq; verbo complectar u-
niversa. Amisimus principem
bonorum optimum, amisimus
principem, ut Ambrosius de
Valentiniano dicebat, in quo
duo pariter acerbant dolorem,
annorum immaturitas, & con-
siliorû lenectus: *Ambros. tom. 3.*
amisimus patrem patriæ, in quo
via justitiæ & trames æquitatis
basin suam fixit, quod Henrici
VII. scitis fuisse elogium,

quem

quē monachus pane Eucharistiæ
toxicato Beneventi interemit:
Chronicum vrsb. amissimus de-
niq; aureā Imperij columnam,
coronam capitis nostri, currum
& aurigam Israelis.

Venio nunc ad tertium o-
rationis meæ caput, in quo de
administratione Reipublicæ di-
cendum est. Eam verò Domi-
nus illi geminam commenda-
vit, patriæ videlicet ditionis gu-
bernationem, & electoratus Sa-
xonici tutelarem procuratio-
nem. Suam quomodo provinciā
rexerit, dixerunt alij, qui melius
potuerunt, & dixerunt apud
eos, qui propius aspexerunt.

Nostra

Nostrarum partium esse puto, eorum renovare memoriam, quæ in administratione Electorali præclarè ab ipso gesta sunt. Omnia verò diligenter percurrenti, in tres referenda classes videntur, Ecclesiastica nimirum, Politica & œconomica. Ad Ecclesiastica quod attinet, prima eius cura fuit ut Ecclesiam investis Sacramentarium erroribus repurgaret, sibiq; divinitus dictum arbitratus est, quod Gedeone Deus inculcat: *Destrues aram Baal, & edificabis altare Domino Deo tuo. Iudic. 6.* Vos enim omnes, me quoque tacente, scitis, quo, quamq; perturbato & afflictò statu inveno-

rit

rit Ecclesias & scholas harum
terrarum princeps Fridericus
V Vilhelmus, eo nimirum, de
quo nostratum quidam cecinit.

εἰς ποιμνίῳ δ' ὑπέδυσεν ἀνώσοισι κρο
λέυδοις
καλλίβοτον χριστοῦ λέκων γένος
ἀρπακτῆρων
οἴτε νομὴν φθείραντο, καὶ ἀυλιον
ἐξετάραξαν.

Quod ego sic interpretor:

*Gressibus ambiguis tua nuper o-
vilia, Christe,*

*Frangis ope invasit genus heu
ferale luporum,*

*Pascua perdebant, & oves
malè diripiebant.*

Verè fuerunt, mi charissime

colle-

collega, ἀνώϊστοι καὶ λευθοὶ inopinati & subrepticij viarum anfractus, quibus sese calva de gente prædones lupique ἀσπᾶκτῆρες in ovile Christi ingesserunt: *Iob. 10.* Licet nupero suo examine Pierius omnem à se suæq; farinae fraterculis culpam amovere e nixè conetur. Conatur autem non removet. Atq; hoc quidem ipsum tum ex aliis infallibilibus manifestum est inditijs, tum è vera solidaq; narratione de vita & obitu Illustrissimi Electoris Saxonici Christiani primi, quæ Electoralibus typis Anno 1595. Dresdæ est edita, præcipuè verò è Crellianæ causæ decennali

cogni-

cognitione & Cælara decifione. In hoc igitur Augiæ five Crellii bubili expurgando, plusquam Herculeos profecto labores optimus princeps fubiit, qui multas illi noctes infomnes, multas etiam cœnas reddiderunt infuaves, festinaque canitie, quod testes *αὐτόμα* enunciant, chariffimum & venerabile caput induerunt. Interim tamen ut Theodosius *aff. Etam Republicam ira Dei, reparandam credit misericordia Dei*, omnem fiduciam fui ad opem Christi referens, ut ait Suidas: & ficut Constantini pater in fomno accepit oraculum, *egregium*

Impe.

ina-
fra-
en-
Nees
nt :
mi-
; fa-
mo-
atur
hoc
in-
in-
nar-
llu-
nici
cto-
9 5.
ve-
nali
gni-



Imperatorem fore, qui Dei militibus opem primus ferret, ut Egnatius testatur: Ita noster quoque princeps hunc laborem divina fretus ope masculè superavit. Non minus autem laboris in retinenda postea veritate & puritate insumendum erat, quam in reducenda. Dum non defuerunt, qui eam vaferrimis consilijs domi forisque, si non possent evertere, quod ne sperare quidem audebant, convellere tamen & labefactare conabantur: alij quidem constantibus eius confessoribus odia conflando, alij fraudulentas conciliationes & inducias suadendo, alij deniq; alijs ambagibus via-

rumq;

umq;
Luth
moli
natil
indu
sæ m
nes
spe i
eò a
retu
fessio
nos
nant
quar
re h
hant
rum
testa
Aug

unūque erroribus cuniculos in
Lutheranæ orthodoxias arcem
moliendo. Verūm omnibus co-
natibus vigilantissima principis
industria sic obstitit, ut univer-
sæ machinationes in fumos ina-
nes abierint, suosq; authores
spe irrita illuserint. Nunquam
eò adduci potuit, ut ijs assenti-
retur, qui in Augustanæ Con-
fessionis societatem Calvinia-
nos quoq; recipiendos esse opi-
nantur: sed ea ille mente fuit,
quam à proavo Iohanne Electo-
re hauserat, quam ab avo Io-
hanne Friderico acceperat: quo-
rum ille, ut Iohannes Sleidanus
testatur, non modò in comitijs
Augustanis nullum sibi cum

Zvvin-

Zyvinglianis commercium esse voluit, sed etiam postea, licet in summo constitutus periculo, auxilijs & copijs Sacramentariorum uti constantissime recusavit: Cordi enim illi erat Gratiani responsum longè gravissimum, qui dicebat, *non esse societatem belli cum Dei hoste cœundam*: Zonaras ann. tom. 3. Iste verò, Iohannem dico Fridericum, cum Augustanæ Confessionis mutatio à Pontificijs ipsi obijceretur, eamque ad petitionem principis cuiusdã summi nominis in Sacramentariorum gratiam à quodam susceptam esse intelligeret, D. Pontano Cancellario in mandatis dedit,

dit,

dit,
de re
in h
ret:
tatio
Con
sua
rum
term
gust.
Anno

signi
prin
Calv
horri
comi
quæ
bita

dit, ut mutationis authorem ea
de re celsitudinis suæ nomine
in hanc sententiam compella-
ret: Ipsum mitigationem & mu-
tationem Confessionis, quia
Confessio ea non ipsius, sed
suæ Celsitudinis & reliquo-
rum ordinum propria esset, in-
termittere debuisse. *Histor. Au-
gust. Confess. de certam: Sacrament.
Anno 40. 41.*

Ad exemplum istorum in-
signium heroum, noster quoq;
princeps à syncretismo cum
Calvinianis vehementer ab-
horruit, eamque ob causam
comitijs Ratisbonensibus,
quæ ante annos octo sunt ha-
bita, Sacramentarios, nescio

q id

quid molientes, unà cum socero illustrissimo principe Philippo Ludovico fortiter repressit, & falsò ipsos gloriari, se Augustanæ addictos esse Confessione, rationibus & argumentis ex ipsa ea confessione, opera Theologorum, qui tunc aderant, collectis longè invictissimis demonstravit. Neve gentis Sacramentariæ nova aliqua soboles in his terris repullulasceret ad imitationem Iosaphati regis scribas & Levitas ad docendum legem Domini in omnes urbes Regni sui mittentis *2. Paral. 17.* visitationem quoq; scholarum & Ecclesiarum, & synodum anniversariam sapientissimo si-

mul

mul & utilissimo consilio instituit. Ac cum Academiam nostram (quam tamen ego rem, nisi necessitate adigerer, æterno mallet involvere silentio,) novo suo absurdidissimoq; dogmate, de universali omnium omnino hominum, siue credant, siue non credant in Christum, electione, Huberusturbaret, ac reformationi maculam aspergeret fædissimam, operam dedit princeps Fridericus V Vilhelmus, ut incendiij istius flammula statim in cineribus extingueretur, & adversario frustra sperata messis in herba, quod dicitur, succideretur. Deus illi, si mentem habet adhuc emenda-

F bitem,

o-
ce-
ilip-
sit,
gu-
oni,
ipfa
olo-
col-
de-
aera-
oles
et ad
regis
dum
arbes
l. 17.
arum
n an-
o si-
mul

bilem, iter ad resipiscentiam aperiat, & cor docile largiatur, ut sicut secessione sua pios omnes tristitia affecit, ita reversione lætitia perfundat, Calvinianis verò & Iesuitis hostibus veritatis acerbissimis insultandi materiam eripiat.

Et talis quidem in Ecclesiasticis noster princeps fuit negotiis: jam in politicis verè affirmare possumus, quod etiam antehac, ipso adhuc vivente, publicè privatimq; sæpe numero contestati sumus Electoratum Saxonicum non Administratorem, sed patrem habuisse. In eam enim ille curam dies noctesque (quantum ab homine fieri potest)

test)

test) incubuit, ut domi quidem pax & tranquillitas in omnibus ordinibus conservaretur, labefactata restauraretur, vulnera Reipublicæ hominum malitia inflicta medicina salutari sanarentur, disciplina, morumq; honestas propagaretur, scelera justa & severa animadversione coercerentur, eaq; medio tollerentur. Foris autem inter omnes principes hic unus fuit præcipuus, qui ad bellum Turcicum, quod jam ultra decennium anticipati victoria, pace tamen interim, qui maximus profectò fructus est, intra Germaniam domestica, extractum est,

viroſq; & vires, ſuppeticas & copias ſubmitteret, ac contributiones Romano Imperatori Domino noſtro Auguſtiſſimo, Clementiſſimoq; libenter annueret, annuiſq; penſionibus fideliter præſtaret. Atq; hoc etiam nomine Cæſaræ Majæſtati longè chariſſimum hoc caput fuit, cujus obitu culmen illud Imperij, Divus Rodolphus, ſi priorum & bonorum principum amantiſſimum credimus, ut citra hæſitationem nos ſtatueret fas eſt, tanto, procul omni dubio, dolore, mærore q; affectum eſt, quantus ob eliſam Imperij manum minimè ſiniſtram ſed dexterrimam in pectore ſalu-

tis.

tis Imperij cupidissimo oboriri
potest maximus & acerbissi-
mus. Ac cum princeps noster
quotidie Davidis supplicatio-
nem ad divinam majestatem su-
is votis & gemitibus usurparet,
& ardentibus suspirijs oraret:
*Deduc me Domine in via tua, &
deduc me in semita mandatorum
tuorum: Psal. 82. 119.* ac cum Sa-
lomone nunquam non fontem
sapientiae & justitiae patrem lu-
minum, è quo omne donum bo-
num, & perfectum descendit,
omnisq; sapientia promanat:
*Iac. 1. humili, fidei q; precatio-
ne alloqueretur: Tu regnare fe-
cisti servum tuum: Dabis ergo
servo tuo cor docile, ut populum*

tuum judicare possit & discernere inter bonum & malum. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam: 1. Reg. 3. Sap. 9.

Ideoq; etiam affluenter illi data est sapiētia: *Iacob. 1.* Deusq; in hoc principe operatus est per spiritum illum consilij, sapientiae, intellectus, prudentiae, fortitudinis, roboris ac timoris Domini, *Esa. 11.* ut ea semper cogitaret, diceret & faceret, quae digna sunt principe
 Fürsten hab. n. Fürsliche gedanken / ut Lutherus noster reddidit. *Esa. 32.* Nam quod de Iosepho, cum Aegypti gubernacula capefferet, scriptum est,

idem

idem de nostro suo modo enun-
ciare possumus ac debemus: *fuit*
Spiritu Dei plenus: Gen 41. Et Deo
erat in ore ejus: Sicut de Moyse
legimus: *Exod. 4. Induitq; eum*
Spiritus Domini ut Gedeonem
Jud. 6. Hunc ille Doctorem
& ductorem nactus & secutus
idem sensit, quod Nehemias de
se affirmat: *Ego nolui gravare po-*
pulum propter timorem Dei. Ne-
hem: 5. Et præceptum Pauli ac-
curatè observavit: *qui præst,*
cum sollicitudine præsit: Rom.
12. Et sicut Moyses com-
mendatur ab ipso Deo, ita hunc
quoque eadem divina ornari
voce, quasi cœlitus emissa

hodiè à nobis certo certius statui æquum est, quod *in domo Dei fidelissimus fuerit, Num. 12.* & sicut de Davide, ita de hoc nostro patre & pastore patriæ certum habemus: *quod pauperit populum in innocentia cordis sui, & in prudentia manuum suarum. Psal. 78.* Supplices enim libenter admisit, causas & negotia ac controversias subditorum nequaquam à se repulit, sed accuratè cognovit, & cognitas juxta justitiæ normam dijudicavit: memor perpetuò præcepti Syracidæ: *Patienter audi pauperem, sedatè & benevolè responde ei: Syr. 4.* & divinam promissionē in conspectu semper habuit:

Rex

*Rex justus erigit terram, Rex, qui
judicat in veritate pauperes, thro-
nus ejus in aeternum firmabitur.
Prov. 29. Cumq; insuper probè
didicisset illud lethronis confi-
lium, quod Mosi dat, oportere
judices in primis Dominum time-
re & veritati addictos esse, Exod.
18. hoc est sinceram religionem
amplecti & amare: idcirco ca-
pitaneos, nobiles, consules, se-
natores, judices & omnes de-
niq; in Reipublicæ administra-
tione constitutos Articulis visi-
tationis subscribere, eamq; sub-
scriptionem toto decennio suæ
gubernationis continuari vo-
luit. Verissimum ratus illud
Constanti Chlorig adagium,*

sta-
lomo
.12.
hoc
triæ
erit
sui,
um.
pen-
a ac
ne-
ccu-
uxta
vit:
Sy-
upe-
nde
sio-
uit:
Rex

quomodo fidem erga Imperatorem
servare poterunt inviolatam, qui
adversus Deum optimum Maxi-
mum perfidi esse cognoscuntur?
Eusebius de vita Constantini lib. 1.
cap. 11.

Qua in re Ioviani Impera-
toris egregium factum sibi quo-
que imitandum esse statuit.
Cum enim Iovianus à militibus
ad Imperium invitatus raperetur,
clamavit, se, cum Christianus
esset, omninò nolle hominum
gentilitatem profitentium im-
perium suscipere: nec prius,
quàm omnes palàm professi ef-
sent, se quoq; esse Christianos,
imperium accipere voluit. So-
crates lib. 3. cap. 19.

Sicut

Sicut autem nulla unquam fuit aut erit in hoc mundo politica gubernatio usq; adeò rectè constituta, & ad trutinam justitiæ administrata, in qua non occurrant quædam gravamina, humanæq; imbecillitatis ac infirmitatis vestigia, quod sapientissimorum & piissimorum regum ac principum, Davidis, Salomonis, Iosaphati, Ezechix, Iosix, Constantini Magni, Theodosij, Marciani, Iustiniani, & deniq; omnium aliorum exemplis apertissimè liquet: Quandoquidem reges & principes non sunt angeli, sed homines, & ipsi quoq; humanam communemque alijs fateri fragilitatem nõ alienum

orem
qui
Maxi-
ntur?
lib. 1.
pera-
quo-
tuit.
tibus
etur,
anus
num
im-
rius,
i ef-
nos,
. So-
icut



à principali dignitate, pietate ac prudentia existimant. Ita si in administratione Electoratus tam longè lateque patens quædam usû venerunt, quæ vel ad politicam, vel ad Ecclesiasticam, reliquamq; gubernationem pertinent, quæ rectius tractari potuisse aut debuisse alicui videntur, non illud optimo principi, cui optima semper, quantum humana patitur conditio, proposita fuerunt, sed partim nostris peccatis, quibus iram & castigationem Dei justissimam quotidie promeremur, partim hominum nonnullorum malitiæ nos adsignare æquissimum ac humanissimum est.

Cum

Cum Israelitis itaq; Moyfi sua delicta fatentibus dicamus: Pec- cavimus, quia locuti sumus cō- tra Dominum, *Num. 21.*

Quamobrem ut paucis mul- ta complectar, decennalis ista Electoratus Saxonici admini- stratio, quid fuit? Pax fuit. Pax in templi choro: Pax in Curia & foro: Pax in ædibus & thoro. *Eccequam bonum & quam iucun- dum, habitare fratres in unum, & ubi populus sedet in pulchritudine pacis, & in habitaculis fiducia, & in requie opulenta, Ps. 133. Esa. 32.* O nos valdè non modò in Magi- stratum nostrum clementissi- mum, sed in ipsum Deum, e- iusmodi Magistratus datorem,

pacisque & concordiae largito-
 rem ingratos, si in aureo pacis
 templo per hoc decennium
 constructo, & iam nunc ab Illu-
 strissimo Electore nostro, Chri-
 stiano II. iterum consecrato,
 debita charisteria litare nō veli-
 mus. O ingens Dei beneficium,
 quod populus habitat absq; ti-
 more ullo, unusquisq; sub vite
 sua. *1. Reg. 4. Invitat vir amicum
 suum sub vitem & sub ficum suam,
 sedent senes & anus in plateis, quae
 complentur infantibus & puellis lu-
 dentibus. Zach. 8. Auditur vox di-
 centiū, confitemini Domino exerci-
 tum, quoniam bonus est Dominus.
 Ier. 33. Auditur vox Sponsi & Spon-
 sae, vox gaudij & leticia Ier. 7.*

Sed

Sed ubi sum, & quo ravior,
pacis cōsideratione? Redeo, re-
deco, undè digressus sum, ad reli-
quam nimirum partem laudabi-
liter à Principe nostro peractæ
administrationis. Vidimus eam
in Ecclesijs & scholis: Vidi-
mus in Politia: Videamus de-
niq; etiam in Oeconomia. Hic
autem nemo à me expectet com-
memorationem de aulicis mini-
stris, principali familia, sumptu,
& quæ huius generis sunt simi-
lia; cuiusmodi est illa de Salo-
mone, quasi in adversarijs ac ta-
bulis, cōsignata ratio: Quot præ-
fectos habuerit, quot equos a-
luerit, quot tritici & siliginis co-
ros, quot boves altilles & pingues

quot

Sed

quot arietes in dies singulos in-
sumpserit? 1. Reg. 4.. Hæc e-
nim, ut ego libenter ignoro, ita
nostra scire nihil refert. Illud
verò est quod meritò celebra-
mus, & pro quo divinæ beni-
gnitati gratias ex animo agimus,
quod fidelissima Domini Ad-
ministratores, piè defuncti,
cura, & inprimis materna &
nunquam satis laudata pietate,
serenissimæ Principis ac Domi-
næ, Dominae Sophiæ, Electora-
lis Viduæ, dominæ nostræ cle-
mentissimæ, Principes nostri in
sincera pietate, & principalium
ac Heroicarum virtutum exer-
citatione, toto hoc tempore e-
ducati sunt; idq; opera, studio,

& in-

& industria præstantium præceptorum, moderatorum, Magistrorum, inter quos vnà cum generosis, nobilibus & strenuis viris aulæ Magistris, haud postremas sibi partes iure vendicant, Reverendus & Clarissimus D. Polycarpus Leiferus, aulæ Electoralis concionator primarius, Vir item consultissimus spectatissimusq; Ludovicus & Vilhelmus Moserus, Electoris Christiani II. Consiliarius, omnium bonorum favore dignus.

In laudibus Lycargi Lacedæmoniorum principis, hoc est præcipuum, quod tutelarem gubernationem, quam extincto

Poly-

Polydecte fratre, necessario suscep-
 ceperat, ita administravit, ut,
 cum uxor Polydectis, tunc Vi-
 dua & vterum gerens, foetum
 abigere, regnumque ad Lycur-
 gum traducere vellet, singulari
 prudentia mulieri, ne id face-
 ret, persuaserit, tantaq; fide er-
 ga fratrem mortuum fuerit, ut,
 cum pariendi tempus adesset,
 ipse obstetrices & mulieres sub-
 miserit, quæ infantem exceptum
 sibi adferrent. Eum vero ille,
 convocata concione Sparta-
 nis exhibuit, gaudete, inquiens,
 ô Lacedæmonij, quia Rex hodie
 vobis natus est *Plutarchus in Ly-
 curgo.* Sicut igitur Spartani,

 vobis

quod rex sibi natus esset, fidei & prudentiæ Lycurgi debebant: ita nos post Deum, fidei, pietati, sapientiæ & industriæ Illustrissimæ Dominae ac principis Sophiæ, Electoralis Viduæ, quam Ecclesiarum matrem & nutricem Christus Iesus diu sospitet, nec non Illustrissimi nostri principis, piè defuncti, vnicè profecto debemus, quod talem habemus Electorem, Principem Christianum secundum, tales itidem Celsitudinis ipsius fratres, Ducem Iohannem Georgium, & Ducè Augustum, Principes ac Dominos nostros clementissimos:

nec

vobis

nec non tales etiam Illustrissimas Dn. Sorores; Quos omnes & singulos, Deus sub umbra alarum suarum, ab omnibus Diaboli insultibus, diutissime conservet & custodiat incolumes. Eorundem singulari beneficio, & erga nostram Academiam favore, factum etiam agnoscimus & prædicamus, quod generosissimum pectus, & ad literas à natura factum, Princeps Augustus, Academiae nostrae Rector magnificentissimus, ingenij sincera pietate, linguarumq; & disciplinarum cognitione excellendi gratia, V Vitebergam missus, & inspectioni ac informationi Reverendorum ortho-

xorum,

xorum, solertissimorumq; viro-
rum commissus est. Equibus e-
quidem, quod Illustrissima Au-
gusti Principis Celsitudo, nobi-
lissimum & præstantissimū ve-
req; θεόφιλον virum, Dominum
Vitum Ditricum ab Obernitz,
aulæ magistrū, immatura mor-
te ereptū habere desijt, magno-
pere dolemus, uvidisq; oculis
recordamur, non ipsius, cui
mori lucrum fuit luculentissi-
mum, sed principis nostri, no-
straq; causā; quod verò reliquos,
quorum laudes, qui coram assi-
dent, reticeo, adhuc habet, ex
animo gaudemus, & ut diutissi-
mè habeat, submissè cum ipse
celsitudine Deum adprecamur

Bea:

Beatus Lutherus, auditoribus enarrans versiculū Psal. 119. Bonum est confidere in Dominum, & non confidere in Principes, sic ait: *Cum viveret Elector Saxonie dux Fridericus, Princeps laudatissimus & incomparabilis (cuius memoria apud nos nunquam intermori debet) ibi tam Ecclesiastici, quam politici tyranni, magnam & constantem spem habebant, futurum, ut ipso hac vita defuncto, nostra doctrina cum ipso expiraret. Sic enim dicebant: Si duo tantum oculi clausi fuerint, tum Lutheri quoque heresis concidet & iacebit. Nihil certius per totam vitam suam unquam ipsis fuit, quam hoc ipso-*

rum

rum vaticinium, iam in manibus
habebant victoriam, iam digitis
contrectabant, sicut fidicen. Pu-
tabant enim doctrinam nostram
Duce Friderico niti, & nostram
consolationem ac spem omnem in
hominibus, & auxilio Principum
esse sitam, eiusque rei conjectu-
ram ex se ipsis faciebant. Idem
sanè nos etiam à Calvinianis,
durante administratione, ex-
perti sumus. Habebant enim
illi, ut Lutherus de Pontificijs
dicebat, magnam & constan-
tem spem, fore, vt finita admi-
nistratione Calvinismus princi-
patum hic postliminio in scho-
lis & Ecclesijs obtineret: stul-
tos putabant eos, qui ad pro-
fessio-

itori-
. 119.
omi-
Prin-
Ele-
Prin-
para-
nun-
i tam
yran-
spem
& hac
trina
m di-
oculi
quog.
Nihil
m un-
ipso-
rum

fessionem Theologicam huc commigrarent: de septennali periodo multus erat sermo, multa vaticinia & Genethliaca quoque themata, quibus illi fraterculi suis in conventiculis, & vespurnulis seu cœnulis ac conviviolis, scriptis etiam quandoq; publicis inter sese confabulabantur, & alter alterum exhilarabat: Theologis quandoq; insultabant (quod mihi sanè non semel usu venit), finite hoc (illorum verba refero) decenniū abeat, næ vestra cum ubiquitate actum erit, næ vos universos procul in malam rem nos isthinc è Saxonia exigemus & propellemus. Annon hæc sunt verissima?

annon

annon ejusmodi voces auditæ
lectæq; fuerunt? Sic nimirum
illi: *Sed qui sedet in excelsis, deri-
debat eos, Psal. 2. & Dominus sub-
sannabat illis, cuius factum est
beneficio, quod sapiens vatici-
natur: Expectatio iustorum leti-
tia: spes autem impiorum peribit.
Prover. 10. Et quod Esaias: Ini-
te, inquit, consilium, & dissipabi-
tur, loquimini Verbum & non fiet:
quia nobiscum Deus. Ies. 8. Hic e-
nim est ille, de quo Salomon
ait, Quod regum corda ipsius in
manu sint, quodq; ea inclinet, quo
ipsi visum est. Prov. 21. Etsi pro-
inde prestantissimum Princi-
pem Fridericum V. Wilhelmum,
non modò in hisce terris, sed*

G etiam

huc
ennali
ermo,
aliaca
is illi
culis,
lis ac
quan-
onfa-
m ex-
ndoq;
è non
c (il-
enniū
quita-
verios
sthinc
pelle-
sima?
annon

etiam in vivis nō habemus amplius; nihilominus tamen eum habemus: & habemus dupliciter. Habemus enim tres Principes, quos ille, ut fidelis tutor, vna cum domina matre educavit, pietate insignes, virtutibus illustres, amore in orthodoxam veritatem nulli secundos; itā ut Princeps Fridericus V Vilhelmus gubernationem harum regionum non deposuisse, sed mutato habitu personaq; multō etiam luculentius instaurasse videatur. Evenit enim Dei providentia, & singulari erga has terras benignitate, quod Syracides scriptum reliquit: *Qui docet filium suum, invidentiam acuit ini-*

mici

mici & coram amicis de eo exulta-
turus est: defuncto patre ita est, ac
si non esset mortuus. Nam similem
sibi reliquit post se, quem in vita
sua videns letatus est de eo, neq;
in obitu suo afficitur tristitia, quia
contra hostes reliquit vindicem,
& qui amicis referat gratiam: Sy-
rac. 50. Ita planè etiam apud nos
ad vnguem evenisse videmus,
Deoq; ex animo gratias agimus,
& Ecclesiæ harum regionum &
inprimis nostræ Academiæ plu-
rimum gratulamur. Ut autem à
Christiana pietate alienum fo-
ret, si in securitatem prolabi,
& fiduciam in hominibus col-
locare velimus; ita eidem ma-
ximè consentaneum est, ut hoc

am-
eum
lici-
nci-
r, v-
avit,
s Il-
xam
tà ut
lhel-
n re-
mu-
ò et-
e vi-
rovi-
s ter-
cides
et si-
t ini-
mici

ineffabile Dei in nos omnes beneficium, publicè privatimq; quoties datur occasio, celebremus, Deumq; flagrantissimis votis invocemus, ut hunc animum, & istam in sincera religione constantiam Clementissimo nostro Magistratu propriam & perpetuam esse velit, quo hanc amaram Ecclesie faciem, quam egregiè affectam acceperunt, perfectam absolutamq; reddant.

Habemus etiam Principem Fridericum V Vilhelmum, in Celsitudinis ipsius relictis generosissimis liberis, ut meritò possimus illud dicere, quod de Theodosio dicebat Ambrosius:

Reli-

Reliquit nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum cernimus & tenemus. *Conteror*, inquit, *corde*, quia ereptus est *Vir*, quem vix possumus invenire. Sed tamen tu solus *Domine invocandus es*, tu rogandus, ut eum in filiis representes.

Ex ijs, quæ hæcenus commemorata sunt, videmus, Principi quoq; nostro competere, quod de eo Imperatore, cuius modò mentionem faciebam, legimus, eam vtramque Rempublicam, Orientalem & Occidentalem, utriq; id est, Honorio & Arcadio, quietam reliquisse. *Sextus Aur. vict. in fine. Paul. Diac. lib. 2.*

Nam & hic tribus Illustribus fra-
tribus, triplicem Rempublicam,
hoc est, statum Ecclesiasticum
Politicum & Oeconomicū tra-
didit tranquillum & quietum.
Supereſt, ut extremum margi-
nē orationi meæ attexam, deq;
memorabili huius Principis pie-
tate, non nihil ſeorſim dicam;
quod cum factum à me fuerit;
tum verò celsitud. ipsius corpus,
ut veteri verbo vtar, conclama-
bimus, & extremum Vale, ſono-
ra voce pronunciabimus. Præ-
ter illa enim, quæ ſparſim de i-
ſtius Principis pietate comme-
morata ſunt, operæ præcium
eſt, nos aliorum quoq; nonnul-
lorum, quæ ſinceram dilectio-

nem

nem Dei eiusq; Verbi in hoc Principe ostendunt, memoriam repetere, ne illa, data opera, oblivionis nube occultare voluisse videamur.

Primum fuit audiendarū concionum sacrarum mira aviditas & alacritas, in qua nihil cessit, vel Constantino Magno, vel Ioanni Electori, vel Ioanni Friderico, itidem Electori. De Ioanne quidem Friderico Electore scribit beatus Lutherus: *Verbum Dei in summo honore ac precio habuit. Quando sacra conciones habenda erant, ipse primus in templo, cum conjugē suā Principe femina Illustrissima conspiciēbatur. Luth: in colloquijs: Et*

Tomo 7. germ. Ien. Idem verò Princeps Fridericus V Vilhelmus faciebat. De Ioanne Electore annotavit Iohannes Manlius, & Georgius Fabricius, quod sæpè integras, & penè ad verbum conciones in Palimpsestis manu sua excipere confueverit. Princeps Fridericus V Vilhelmus, nullam audiebat concionem, nisi sacrum codicem, & haud rarò tomos Lutheri ad manum haberet, & quæ ex ijs adducebantur, dicta & testimonia, ilicò inquireret, memoriæq; mandaret. Constantinum verò Magnū, ait Eusebius, populo Dei in templo congregato, ipsum studiosè exordiri solitum
fuisse;

fuisse; sumptis in manus libris,
vel sacrarum literarum contem-
plationi diligenter animum ad-
hibuisse; vel constitutas cum
universo Ecclesie cætu preces
reddidisse; Et addit porro Eu-
sebius, se quodam tempore co-
ram ipso de sepulchro Domini-
co prolixius disseruisse. Cum
jam, inquit, multum temporis
fluxisset, & nos longiores esse-
mus, finemq; facere statuere-
mus, hic quidem ille restitit, &
ut omnem sermonem absolve-
remus, hortatus est. Rursus ve-
rò, ut sederet, deposcentibus no-
bis, subtristi & austero vultu re-
spondit, nefas esse, institutis de
Deo disputationibus negligen-

verò
ilhel-
Ele-
Man-
quod
ver-
festis
veve-
V Vil-
con-
cem,
ri ad
ex ijs
timo-
riaq;
verò
popu-
gato,
litum
fuisse;



tes aures præbere : sibi verò hoc esse in primis vtile, præsertim cum pium sit, de divinis rebus differentes erectos audire. *Euseb. Vit. Const. lib. 4. cap. 17. & 33.* Eadem verò alacritate & perseverantia Princeps Fridericus V Wilhelmus sacrarum concionum auditorem sese præbuit.

Proximum huic erat, indefessa legendi sacri Codicis, & scriptorum Theologorum cupiditas, qua non modò cum sanctissimis & θεοσεβέστατοις Principibus; sed cum Theologis etiam contendit. Theodosius

sua

sua manu libros novi testamen-
ti descripsisse, & aliquam eorum
partem quotidie legisse perhi-
betur. *Phil. Chron. lib. 3* Caro-
lus Magnus plurimum delecta-
batur libris Augustini, & præci-
puè ijs, quos de Civitate Dei in-
scripsit, è quibus etiam inter
cænanandum aliquod *αὐξόμα* au-
scultavit: *Eginhard. in vita Car-*
cent. 9. c. 6. Noster quoq; Prin-
ceps nullo magis libro, quàm sa-
cris Biblijs utebatur. Vnde to-
ties, & tot diversarum editio-
num exemplaria evolvit, & di-
ligentissimè inter se contulit,
quibusq; in locis discreparent,
accuratè observavit. Vnde ger-

verò
fer-
vinis
audi-
cap.
ala-
Prin-
us sa-
orem

inde-
s, &
m cu-
cum
Prin-
gis et-
osius

sua

manica biblia apud nos forma minore & typo papyroq; elegantiore excudi præcepit. Vndè nullam sibi rem tam necessariam obstare passus est, quin prima luce, aliquot horas quotidie sacrorum librorum lectionibus impenderet, & aliquot Bibliorum capita diligenter evolveret.

Theodosius, de quo modò dicebam, summo diluculo cum vxore & sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit. Quin etiam sacras literas memoriter pronuntiavit, & cum Episcopis, perindè ac si Sacerdos jam olim designatus fuisset, de eisdem differuit.

Libros

Libros etiam, tum qui sacra Dei
eloquia complectebantur, tum
qui ab eorundem interpretibus
scripti erant, multò diligentius,
quàm Ptolomæus Philadelphus
olim, in unum colligendos cu-
ravit: adeo, ut eius regia non
dissimilis fuerit monasterio. Ita
de illo Socrates. *Socrates lib. 7.
cap. 22.*

Quæ pleraque nos pari ve-
ritate de Principe Friderico as-
severare possumus, si è viridi re-
centiq; memoria, consolationū
è sacris literis petitarum, ex
hymnorum item & cantionum
Ecclesiasticarum recordatione,
expromptaq; recitatione, quam
in morbo, deiectione iam corporis

viribus, & proximè antè obitum
Celsitud. ipsius inconcussam re-
tinuit, quàm diuturnum & iuge
studium præcessisse oportuerit,
æstimemus. Quod ipsum etiam
comprobant libelli piarum me-
ditationũ & precum in Typo-
graphia Torgensi excusi. An-
no enim 1594. editum est En-
chiridion continens capita do-
ctrinæ Christianæ præcipua,
nec non insigniores sacrarum
literarum sententias in pulcer-
rimam synopsis collectas, quod
quidem opusculum institutio-
ni Illustrissimarum Principum,
Dominæ Dorotheæ Sophiæ &
Dominæ Annæ Mariæ filiarum
nostri Principis è primo conju-
gio

gio superstitum, confectum de-
dicatumq; ab optimo patre fuit.
Sic etiam Anno 1506 prodijt
ex eadem officina volumen pia-
rum precum ab Illustri persona
(ut habet inscriptio) collecta-
rum. Et his similia recenseri
possent plurima.

Tertium memorabilis pie-
tatis in hoc Principe argumen-
tum suppeditat symbolorum,
quæ usurpavit, præcipua sancti-
tas. In quotidiano usu duo ha-
buit, quorum unum è sensu pul-
cherrimi Davidici Psalmi, qui
est 119. eque Christi postrema
precatatione ante ipsius passio-
nem, (*Iohan. 17. Sanctifica eos,
Pater, in veritate tua, sermo*

ius est veritas, de qua etiam
 proximè ante obitum Ips. Cel-
 situd. iucundissimus sermo fuit)
 desumptum est, & respondet
 Maiorum Ips. Celitudinis sym-
 bolis. Quandoquidem patruus
 magnus, proavus & avus, instar
 symboli perpetuò in ore habue-
 runt sententiam, Esa. 40. per scri-
 ptam: *Verbum DOMINI ma-*
ner in æternum. Patri verò Ioan-
 ni V Vilhelmo tritum fuit istud:
Rege vel gubername DOMINE
verbo tuo. Nostri verò Principis
 symbolum erat: *Conserua me,*
DOMINE, in verbo tuo. Sicut
 etiam Ducis IOHANNIS, fra-
 tris, Principis laudatissimi Sym-
 bolum est, istis ἑμὸς κρηρ: *Deduc*

me **DOMINE** in verbo tuo.
Altera symbolica gnome, ut
multorum libri, in quos manu
suam Ips. Celsitud. dedit, testan-
tur, erat, Versiculus ille Poetae:
Pietas tutissima virtus. Haec sen-
tentiae, ut breues sunt & succin-
ctae; ita rerum maximarum ima-
gines exhibent. Prior enim o-
stendit, quod sit boni Principis
officium erga Deum: quod
Verbo caelitus reuelato nihil
preciosius & charius habere de-
beat, juxta gravissimum Domini
praecipuum, regibus & Principi-
bus datum, ut sacro volumini
legendo primas semper defe-
rant, Deuter. 17. Et sicut ad Jo-
suam dicit **DOMINVS**: Non re-
cedet

cedet volumen hoc legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam & intelliges eam. Is enim demum verè beatus est, qui meditatur in lege DOMINI die ac nocte, Psal. 1. Altera verò Gnome eidem in memoriã quotidie revocavit, & sub conspectum adduxit, Amphinoum illum & Anapium Siculos fratres, qui cum A Etnæ incendio Catane vrbs & omnia propè Siciliae loca deflagrarent, parentes humeris superimpositos per modios ignes periculo subduxerunt, ob-

stupe-

stupescantibus ad tanti amo-
ris & pietatis inextinguibiles
flamas Aetneis flammis ? sed
Poetam potius audiamus :

*Hinc rapiunt praedam, mediūq̄
exire per ignem*

*Ipsō dante fidem properant, ō
Maxima rerum*

*Et merito Pietas homini tutis-
sima Virtus.*

*Erubescere pios iuvenes attingere
flamma*

*Et quocunque ferunt illi vestigia
cedunt.*

Sunt isti parentum bajuli
limpidissimum speculum bo-
ni & Christiani Principis,

quod

quod in oculis & animis p̄ij
magistratus habitare par est,
qui senescentem Ecclesiam in-
ter horrenda imperiorum in-
cendia & ruinas, tyrannorum
spicula, gladios & enses, hære-
ticorum doniq; furores & deli-
ria, humeris excipere, suoq; et-
iam cū periculo ē periculis vin-
dicare debet, quantum potest.
Hæc tantas res Princeps noster,
quarum illarū sententiarū bre-
vissimis Aphorismis ita sibi ob-
oculos constituebat, sicut Con-
stantinus in Labaro suo CHRIS-
TUM & omnia eius beneficia
semper oculis obversantia ha-
bebat. Erat Labarum vexillum
ita fabricatum, ut literas, in ipso
medio

medio literæ X curiosè & subtiliter inserta, fastigium operis exornaret. Quo salutari signo, ut ait Eusebius, Imperator, tanquam hostilis cuiusq; & infestæ violentiæ propugnaculo semper usus est. *Euseb. lib. 2. Vit. Const. c. 25.* Quartum argumentum veræ pietatis in nostro Principe fuit, Theologici ordinis & sacri Ministerij veneratio. Cum enim animo suo infixam haberet Christi sententiam: Qui vos suscipit, me suscipit, & qui me recipit, recipit eum, qui milit me, nequaquam ita sensit, ut Centauri quidam, & Tyrgepolinicæ, quibus nullum videtur genus hominum

Theo-

is pij
est,
n in-
n in-
orum
hære-
deli-
q; et-
vin-
otest.
ster,
bre-
ibi ob
Con-
HRI-
eficia
ia ha-
illum
n ipso
nedio

Theologico vilius & abiectius. Sed quemadmodum Constantinus, Theodosius, Martianus, imò David, Iofias, Iofaphat, Ezechias, honori sibi duxit, cum Sacerdotibus conversari, deque controversiis & capitibus religionis cum iisdem placidè & perhumaniter cõmentari. *Pomp. Lat. Egnat.* Ac quemadmodum avus ipsius adeò fuit φιλοθεόλογος, ut non dedignatus sit B. Lutherum, Smalcaldiaë lethaliter decumbentem invisere, & paternè consolari, eiq; hoc promissum, quo post divinas voces nullum dari potest ad erigendum consternatum animum solidius, insinuare, *sic*, inquit, *mi charis-*

sime

sime Doct̄or, Deus hinc avoca-
verit, ne quaeso, de uxore tua
liberisque sis sollicitus: Tua uxor
mea erit uxor, tui liberi mei
erunt liberi, vt testatur Myco-
nus: Ita noster quoq; Theolo-
gos suo latere non indignos af-
fessores arbitratus est. Idque
etiam multò ab ipso factum fuif-
set frequentius, nisi palatini
quidam sorices, ut Licinius,
quod unum ei laudi datur, id
genus hominum appellare con-
sueverat, quandoq; impedivif-
sent. Quod enim de Valentinia-
no tradunt historici, si ei in-
fidis hominibus, quibus sese tanquã
fidissimis prudentissimisq; dede-
rat, carere aut probatis eruditissq;

monito-

sime

monitoribus utilicuiisset, quod perfectus haud dubie Princeps enitisset. *Sext. Aurel. Victor:* Idem nos hodie de optimis saepe Principibus non sine lacrymis conqueri oportet.

Quintum indicium Heroicae pietatis fuit, de posteritate totaque Ecclesia sollicitudo. De Theodosio dicit Ambrosius: *Dilexi Virum, qui cum iam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis agebatur* Noster autem Princeps, qua sollicitudine, cum per universam vitam, tum etiam in mortis limine fuerit, ut germana religionis doctrina, ab omnibus inquinamentis depurata lon-

gè lateq; proveheretur, ista saltem, loco plurium, quæ recenseri possent, argumenta perpendite. Legerat sæpè numero de pijs Regibus, Asa & Ezechia, 2. Paral. 15. & 30. quod non modò in sua ditione, intra regni Iudaici terminos veræ religionis cultum diligenter conservaverint, sed eundem etiam in regno Israelitico plantare, & qui à genuina pietate aberraverant, reducere viriliter conati sint. Quare cum statim initio susceptæ administrationis, laudatissimus Princeps Fridericus I V. Dux Lignicensis & Brigenfis, tuus, Religiosissima Princeps & Domina, Domina Anna V Virt-

H ten-

tenbergica, maritus desideratissimas, pio & perpetuum celebrando consilio constitutum haberet, Ecclesias suæ ditionis à Sacramentariis, qui fraudulenter, duce Leonhardo Krentzhemio, irreperant, veneno repurgare, ibi tum noster Princeps rogatus, animo lubentissimo ad perficiendum opus Ecclesiæ Dei vehementer salutare, suppetias misit. Utinam verò, O Beate Frederice Princeps, diutius tibi in his terris esse licuisset, neq; tam citò tuus, beatus quidem ille, sed patriæ meæ nimium luctuosus, nimiūq; acerbus abitus, Krentzhemianæ sobolī ac familiæ reditum in Slesiacas Ecclesias aperuif-

ruisset: O si tu nunc Calvinianum virus tua in vrbe impuris concionibus grassari, & ad orthodoxæ puritatis insectationem ac proscriptionem nihil intentatum relinqui videres, quam tu profundis suspirijs, ingemisceres, sat scio, quibus tu lacrymis Deum nobiscum rogares, ut salutarem aliquem medicum excitaret, qui invalescenti malo, tempestivam & idoneam medelam adhiberet.

Iam alterum huius animi evidentissimum signum est, quod Principis Friderici V Vilhelmi auspicijs & iussu Promachus ille Sacramentariæ sectæ liber (sed ἀτιμάχῳ sed ἀερομάχῳ,

sed interim δεομόχθ) cui no-
 men Badensi & Staffordensi ef-
 fe scitis, refutatus est. Tertium
 verò, cuius recentī auditione o-
 mnium adhuc aures animiq; ca-
 lent; quod nuperum illud Ra-
 tisbonæ nitidissima in victoria V E-
 RITATIS VICTORIA, &
 glorioso verbi divini triumpho
 cum Loiolisticis ranis, inter
 quas nihil quàm informem tor-
 mam, coaxare, coaxare, & freke-
 kare, frekekare λιμνόχαρις ille &
 φουσίγναθθ πολύμηθ) cæteri-
 ranunculi potuerunt, colloquiū
 est habitū: Id, inquam, habitū est
 nostri quoq; Mæcenatis opera,
 authore verò ac Præside Illu-
 strissimo Principe ac Domino,

Domi

Domino Philippo Ludovico,
Palatino Rheni, beatæ ipsius
Celsitudinis florentissimo soce-
ro, cui æternus Deus æternum
faveat, quem æternum foveat,
cui æternum benefaciat. Sed
hæc omnia quæ commemoravi,
admirandæ pietatis argumenta
& ornamenta minora censeri
possent, si non accederet ulti-
mum, & omnium præstantissi-
mum Epinicion, quo Illustrissi-
mus noster Mæcenas, diabolum
mortemq; ipsam vicit, prostra-
vit, enecavit, & Victor longè
victoriosissimus nõ marcescen-
tem, æternæ beatitudinis glo-
riæq; coronâ reportavit. Quàm
ego vellem nobis tempus sup-

no-
ef-
um
eo-
ca-
Ra-
V E-
, &
pho
nter
tor-
eke-
le &
eriq;
quiu
tū est
era,
Illu-
ino,
omi

petere, ad explicandum illum
vltimum agonem, quo invictus
hic Heros cum carne tandem,
diaboloq; , morte, & mundo in
Monomachiam descendens, &
coram, non eminus, & fortissi-
mè conflixit, pulcerrimeque
palmam obtinuit. Sed licet o-
mnia commemorare præceps
horæ curfus me non sinat, ali-
qua tamen delibabo, & ea ipsa
non meis Verbis (qui enim ego,
qui non interfui, id meis facere
possum?) sed Reverendî Cla-
rissimiq; Viri, Domini Magi-
stri Davidis Meisij, compatri-
mei honorandi, qui proximus
adfuit, omnia vidit, omnia audi-
vit, latina saltem veste à me, vt-

cun-

cunque indutis, recitabo. Vestrum est, quin & meum, hæc non tantum auribus, sed cordibus excipere, intimisq; sensibus penitissimè recondere, ut hoc beatæ εὐθανασίας illustre speculum in oculis gestantes, etiam discamus rectè feliciterq; de hoc corporis ergastulo, vitæq; temporalis exilio, cum Simeone & Paulo, cumq; Principe nostro, jam, ô jam verè Friderico, ô jam verè V Vilhelmo, solve, inq; portum cælestis contubernij, vbi sancta Dei Deo dilectos expectant subsellia, secundissimo vento appellere. Sed audiamus M. Meisium, concionatorem aulicum Vinariensem: Cum

H 4

ego,

ego inquit, indignus verbi minister, Illustrissimam Ips. Celsitudinem alloquerer in lectulo decumbentem, eiq; Dei verbo consolari inciperem, verè possum affirmare, cuius etiam affirmati testes sunt, quotquot astiterunt, quod nullam ex sacris literis sententiam consolationis plenam, recensendo inchoare potuerim, quam non Illustriss. Ips. Celsitudo integrã, magna devotione clara voce, distincte & significanter de memoria recitando, me anteverterit. Quales sunt illæ, Psalmo 68:

Deus imponit nobis onus, sed ipse quoq; iuvat, Sela. Deum habemus qui adjuvat, & Dominum Domi-

num,

nū, qui de morte eripit. Item Psal.
73. Si te modò, Domine, habeam,
'nihil facio calum & terram: Licet
anima corpusq; meum deficiat, tu
tamen, Domine, perpetuò manes
cordis mei solatium, meaq; portio.
Atque hæc sententia multoties
fuit iterata; ita, ut recitatione
Ips. Celsitudo exlatiari ne-
quiverit. It. Psalmi 118: In angu-
stijs invocabam Dominum, & Do-
minus exaudivit me, & consolatus
est. Psal: 145. Dominus propè est
omnibus, qui ipsum invocant, o-
mnibus, qui serio ipsum invocant:
facit voluntatem timentiu ipsum,
exaudit clamorem illorum, & au-
xilatur illis. Psal. 50. Invoca me
in die tribulationis. Psalmo, 25.

H 5

ANGU-

Angustia cordis mei magna est, e-
duc me de angoribus meis. Respice
miseriam & calamitatem meam &
remitte mihi omnia peccata mea.
Item, Exquisiteissimā & divinis-
simam illam sententiam Chri-
sti, Iohan. 3. Sic Deus dilexit mun-
dum &c. Ips. Celsitudo inte-
grā clara voce commemoravit.
Quod quidem aureum amule-
thum Anno quoq; Illustr. Ips. Cel-
situdinis, Electori Ioanni Fri-
derico suavissimum pulvinar
præbuit, in quo placidè beateq;
ad æternam beatitudinem & vi-
tam indormijt. Hic verò illud
silentio præterire, inquit, nec
possum, nec debeo, nos omnes,
qui circa lectum stabamus, sum-

ma

ma cum animorū oblectatione
audivisse, quanta fidei *πληροφροσία*
vniuersales promissiones ipsius
Celsitudo, ad semetipsam ap-
plicaverit, ut indè evidenter ap-
pareret, Spiritum sanctum in
illustri corde habitantem, indu-
bitatum testimonium dedisse,
spiritui ac conscientiae Celsitud.
Ips. idq; testimonium arrhabo-
ne & signaculo caelestis gratiae
obfirmasse, adeò, ut eius Celsi-
tudo firmissimè cōstantissimeq;
crediderit, se esse filium Dei, &
hæredem aeternæ salutis. Cum e-
nim recitaretur in commemo-
rato dicto, particula isthæc: vt
OMNES, tū Ips. Celsitudo inter-
posita applicatione in hæc verba

ororum pebat. Eia, hic ego quoque sum inclusus, hoc solidissime firmissimeq; credo: Hanc consolationem nisi haberemus, quam miseri, quæso, homines essemus. Sequebatur, inquit ille, sententia, Matthæi ii: *Venite ad me omnes*, quam Ips. Celsitudo vehementer amavit, inq; magno precio semper habuit. Celsitudinem ipsius recordor, finita quodam tempore concione, in qua illa explicata fuerat, non absq; singulari, aq; Dei spiritu concitata animi commotione, dixisse: Hanc divinam promissionem, venite ad me omnes, nō patiar ab ullo hoste aut tentatione cordi meo excuti vel extorque-

torque-

torqueri. Ac cum probè scirem,
inquit idem ille, piissimum
Dominum, beatæ recordatio-
nis, nervosissimam illam & pul-
cherrimam precatiunculam, D.
Eberi p. m. cuius initium est in
nostra lingua: *Esu x x Ihesu*
Christ Wahrer Mensch vnd Gott
ect. inter *κεφάλια* thesaurum su-
um censuisse præstantissimum
& desideratissimum; nec vnà
mecum ignorarent, è familiari-
bus intimi, Celsitud. Ipl. tem-
pore proximo, satis longo, quo-
tidianas preces supplicatione &
petitione felicis ἀπολύσεως ex
hac vita claudere solitam fuisse:
& cum præterea ipsa præsens,
in q; oculos incurrens conditio

me admoneret, inchoare quoq;
 eam, de qua dico, precandi for-
 mulam: Sed ô bone Deus, cum
 ego vix primum dixissem versu-
 culum, ilicò videre erat, cor lin-
 guamq; optimi Principis à Dei
 Spiritu inflammari, ut admira-
 bili prorsus fidei cum *παρρησία*,
 vocisq; animiq; hilaritate, to-
 tam ab initio ad finem usq; re-
 censuerit. Qua in pronūciatio-
 ne illud iterum, quod à me com-
 memoretur, & ab omnibus ob-
 servetur, dignissimum est, tum
 ut mœstissima Princeps Vidua,
 mœstissimiq; liberi principes, o-
 mnesq; Cellitudinis Ips. agnati
 & affines solidam consolationē,
 tum verò, ut nos illustre docu-
 mentum

mentū & exemplum, quod imitemur, indè capiamus. Quis enim, amabo, nō videret, pectus istius Principis ardentissima, constantissimaq; in Deum fide flagrasse, cum inter orandum, quoties occurrebat particula universalitatis & pluralitatis nota (N O S, NOSTRVM) confestim eam beatissimus Princeps ad suam personam accommodabat. Verbi gratia, vbi sic habet precatio: Hoc mi DEVS, præsta nobis clementissimè; Princeps perspicua voce, & notabili cum emphasi dicebat: Hoc mi DEVS, præsta M I H I clementissimè, ut nimirum EGO, in regno tuo, aternæ

beati-

beatitudinis & læticiæ particeps
 perpetuò vivam. Vbi precatio
 porro ait: O Domine, remitte
 nobis omnia debita nostra, &
 da ut expectemus cum patien-
 tia: ibi ips. Beata Celitudo, di-
 cebat, ah DOMINE, remitte
 MIHI omnia debita MEA,
 fac ut EGO expectem cū pati-
 entia: vsq; dum MEA hora ad-
 venerit, ut MEA fides semper
 sit vigilans, vt tuo in verbo fi-
 duciam EGO collocem forti-
 ter, utq; EGO in te obdormiam
 suaviter. Amen Domine Iesu
 Christe Amen. Quæ jam porro
 ante extremum vitæ cum mor-
 te luctamen confessio ab ipsius
 Celitudine fuerit edita, plena

 me

me Christe, fidei, plena candori-
ris, plena orthodoxæ pietatis,
plena sinceræ humilitatis, & di-
gna, quæ in omnium oculis ha-
bitet, imò in cordibus: quæ et-
iam patientia patientissima, to-
to morbi & affictæ valetudinis
tempore, quæ deniq; & quàm
placida vivendi clausula, in qua
illud Augustini lib. 1. Civit. D.
cap. 11. assertum, egregiè enituitis,
quod mala mors esse non possit,
quam bona vita præcesserit; id
inquam & his similia multò plu-
ra malo vos ex ipsa Dn. M. Mei-
sij funebri concione legendo
accipere, quàm mea commemo-
ratione diutius detineri: Hoc u-
nicum quin coronidis loco ad-

ijciam

iudicium facere non possum, vel
eam potissimum ob causam, ut
quia debitæ gratitudinis decla-
rationem hac lamentatione i-
pſius Celsitudini ut potuimus,
perſolvimus, debitas quoq; , &
ut Ambrosius loquitur, ſtipen-
diarias lacrymas eidem perſol-
vamus. Percurrite igitur me-
cum, hanc quoq; eiusdem Re-
verendi Domini Concionato-
ris Vinariensis narrationem:
Vesperis, inquit, hora octava
Cell. Ipſius liberos omnes ac-
cerſivit, qui unâ cum mœstissi-
ma Domina matre, lectum cin-
gebant: (quod ſpectaculum ad-
ſtantes Dominos confiliarios,
nobiles, & ministros aulicos, a-

deò

deò percellebat, ut nullum viderim, qui lacrymas continere potuerit) ibi tum Celsiss: Princeps duas filias, principes, è primo conjugio susceptas, paternè ad obedientiam & reverentiam erga Dominam matrem, quam non overcam, sed matrem semper expertæ essent, ad pietatem, diviniq; numinis observantiam; & heroicas, quæ principes taliq; loco natas decent, virtutes, sedulo cohortatus est, addita consolatione, Deum ipsis clementer prospecturum. Postea converso vultu ad tres juniores Principes, qui ordine deinceps ibi consistebant nomine omnium natu maximum, Ioannem

Philip-

Philippum allocutus: Ioannes
Philippe, inquit, vel qua com-
pellandi formula pater uti con-
sueverat; *Hans Lips*/pius esto,
& diligenter literis incumbe,
quod si feceris, in principem e-
vades, qui toti Reipublicæ sit
emolumento futurus: Porrecta-
que singulis manu ultimum Va-
le dixit. Postremò dilectissimam
conjugem Principem mæstissi-
mam intuitus, & allocutus, eam
divinæ protectioni commenda-
vit, sincero eius amore fideque
conjugali prædicatâ, hortatusq;
est, ut defensionis auxilioq; o-
mnipotentis Dei, totam sese
committeret, eamq; animo spem
côciperet, fore, ut in æterna illa

beati-

beatitudine mutuo conspectu,
jucundissimaque conversatione
inter triumphantes sanctorum
angelorum & beatorum homi-
nū choros fruerentur, Deumq;
de facie ad faciem intuerentur,
& absq; omni defatigationi con-
celebrarent: Sanctus, Sanctus,
Sānctus, Dominus Deus Zeba-
oth. Quod verò tam durum sa-
xeumque pectus esse potest:
(sunt verba ejusdem) quod
non ista usque adeò heroica &
magnanima piissimi Princi-
pis valedictio, postremaque co-
hortatio ad illustres liberos, &
illustrissimam conjugem insti-
tuta, uberrimæ deniq; & acer-
bissimæ mœstissimæ matris la-

chy

chrymæ non effoderent, penetrarent, vulnerarēt inq; lacrymas colliquefacerent? Meam ego, inquit, infirmitatem libenter fateor, cor mihi meum hac valedictoria clausula ita colliquatum fuisse, ut præ mœrore & lacrymarum impetu vix verba facere potuerim. Hæc ille, Cui ego quoq; accedo, & hisce meis lacrymis testor, animum meum hac narratione tantoperè commotū & vellicatum, vt non modò hisce diebus, dum ista legerem, & latina de germanicis facerem, subinde strophio ad tergédos oculos (id quod res est dico, non mentior, Deus novit) mihi opus fuerit: Sed etiam, ut hic já orationē abrūpere necesse habeam.

ne-
cry-
eam
ben-
hac
olli-
rore
vix
ille,
ifce
num
perè
non
a le-
nicis
o ad
es est
ovit)
n, ut
cesse
eam.

17/588

ULB Halle
003 585 28X

3



Pol. dig.

VD 77

m.e.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Kodak
 LICENSED PRODUCT
 3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000
 White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



um,
rim.
Cle-
iritus
st ire
uam
n illa
sten-
vens
n sit.
rpen-
t. cle-
t Illu-
striss-

